
M.B.


LEMNIUS
1554









1817 [illegible]

M. J. Hole, 1890.

896

Dupl

Leuini Lemnii

MEDICI ZIRIZÆI LI-
BELLI TRES, PERELE-
gantes ac festiui.

Omnibus artium liberalium candidatis apprimè
vtiles, quorum titulos versa pagi-
na commonstrabit.



ANTVERPIAE,
Apud Martinum Nutium.
1554.
Cum Priuilegio Imperiali.

CONTENTA HVIVS LIBRI SVNT.

LIB. I.

De Astrologia liber vnus, in quo obiter indicat, quid illa veri, quid ficti, falsíque habeat, & quatenus arti sit habenda fides. In quo denique multæ rerum Physicarum abditæ, amœnissimæq; causæ explicantur, tum prouerbij origo, Quarta luna nati.

LIB. II.

De præfixo cuique vitæ termino.

LIB. III.

De honesto animi, & corporis oblectamento, & quæ exercitatio homini libero potissimum conueniat: obiter de frugalitate, & victus temperantia, ac rerum rusticarum amœnitate.

CLARISSIMO, ORNATISSIMOQVE VIRO, VTRIVSQVE IVRIS CONSVLTISSIMO, D. Cornelio à Vveldam, inuictiss. Cæsari Carolo à consilijs, LEVINVS Lemnius Medicus S. P.



Vanquam Vrbis nostræ viri primarij, totusq; ferè Senatorius ordo, diu multumq́ue me inuitarint, atq; identidem inuitent, vt rem Medicam, quam supra annos vndeuiginti apud nostros exercui, aliquo scripti genere illustrem, atque exteris quoque testatum faciam, qua vsus sum medendi dexteritate, quo successu: hactenus tamen ob multas, magnasq; causas constanter ijs sum obluctatus. Primum, quòd aßiduè in ea Medicinæ parte versarer, quæ tota in actione consistit, atque hinc vltro citroq; inuisendis ægrotis essem occupatior, quàm vt illi

negotio vacare, aut vllam operam impendere liceret. Deinde quòd dicendi artibus tenuiter instructus, nec doctrina satis excultus, scribendi difficultatem, variosq; euentus, atq; ancipites exitus pertimescerem. Et quamuis illos aliquo obsequio, officioq; demereri par est, atque his nostram approbare industriam, quorum consilio & autoritate medicis salaria decerni cœperunt: ea tamen huius consilij mei ratio subinde à scribendo deterruit, quòd tale quiddam me præstare, efficereq; posse diffiderem. Nunc verò propemodum expugnari animum meum patior, postquam tam instanter id à me exigunt, insistuntq; tot amplißimæ dignitatis viri, & tu præcipuè vir clarißime, siquando Principis tui munia, & delegatas functiones, summa cum laude, ac pari Reipub. commodo, apud nostrates Bel-

gas obire ſoles: quum non ita pridem ſtudioſè apud me hoc egeris, vt vulgari more, prognoſtica in vulgum proferrẽ: idq́; eò agebas inſtantius, quòd hæc ſoleam per ſingulos Lunæ, Solisq́; decurſus, & curricula non ἀμφιβολογικῶς, aut ambiguè ciuibus noſtris denunciare. Nam in his ſciſcitandis vrgendisq́; defatigare ingenium meum conſueuerũt illuſtres viri D. Hieronymus à Seroeſkerka Equeſtris ordinis, & dignitatis heros, D. Liuinus à Burgh vrbi noſtræ à ſecretis, cuius in rebus politicis ante complures annos ſpectata virtus, & prudentia, tum Iacobus ille Suſius, cui præter generis claritatem, & nominis ſplendorem raras ingenij dotes naturæ parens eſt elargitus. Quæ cùm illis tum plerisq́; aliis, quibuſcum verſari, & conſuetudinem habere conſueui, innoteſcant, hactenus tamen ab his

publicitus exhibendis abstinui, quòd viderem passim exagitari, & proscindi cõuicijs artis huius professores, tum vanitatis atque imposturæ insimulari: tametsi, vt ingenuè fatear, paulò impotentius, & acriori, quàm par est, stomacho id quidam factitasse uideri possent, nisi quorũdam nugacitas, & prognosticandi libido superioribus sæculis creuisset in immensum. sic iniquum illis petendũ fuisse interpretor, vt æquũ ferrent. Ego verò, vir ornatissime, artem ipsam vtilissimam, omnibusq; amplectendam censeo, modo quis ea legitimè vtatur, modo ne cum pietatis iactura coniuncta sit, & morum integritati officiat, modo nequid detrimenti Resp. ex illa capiat. Itaq; non verebor hanc versare aleam, & (quò tibi, nostroque Magistratui gratificer) Astrologiæ aliqua ex parte assertor esse, & extra
contemptum

contemptum, quantum ipsa patitur, hanc vindicare: cuius quota pars Medicis vsui sit, & necessaria, Galenus in lib. de diebus decretorijs (modo ne suppositititij sint, atq; illi falso inscripti) tũ Hippocrates de aëre & locis demõstrare mihi videntur. Cæterum ne quis temerè quibusuis assentiatur, iudicium delectumq; ijs adhibendum statuo, quæ ab Astrologis prodire solent. Multa enim meritò improbari in hac prognosticandi temeritate, quædã minus rectè, & præter rationẽ impugnari. Itaque commonstrandum duxi, quousque progredi fas sit, & in quibus culpandi diuinaculi quidam, quorum improbitate effectũ est, vt ars ipsa contemptui esse, & despicata haberi cœpta sit. Hæc autem vir magnifice sub tuis auspicijs, & nominis tui fauore perficere statui, vt qui in medendis, profligandisq; mor-


bis, in tuenda, sarciẽdaq́ꝫ sanitate Lem-nij experimentum sumpsisti, atqꝫ illum cumulatioribus, quàm eius tenuitas est merita, laudibus exornasti: Ita eiusdẽ in his, quæ minoris sunt momenti, qua-lecunqꝫ ingenij specimen accipias. Deus opti. maxi. diu te nobis seruet incolumẽ vnà cum D. Antonio Catsio singularis ingenij viro, cui præter antiquæ nobi-litatis insignia, exacti excußiq́ꝫ iudicij laudem defero: quem vt habes eiusdem vrbis ciuem, ita nactus es in celebri illo Hagensi consessu eiusdem honoris, e-iusdemq́ꝫ dignitatis collegam, & muni-cipem. Ex Zirizæa anno inchoatæ sa-lutis, M. D. LIII. Nonis Martijs.

PASCHASII OENII APVD Zirizæos Archididascali, in operis commendationem Epigrãma cumprimis eruditum.

ECquid ab incepto properas desistere cursu?
Et retrahis, veluti tactus ab angue pedem?
An tua, vix lecto titulo, censura libelli
Tam temerè autorem damnat, agitue reum?
Dente Bionæo diuina mathemata rodi,
Aut cœlo æquari somnia vana putas?
Falleris haud dubiè: nec enim conuellit honestas
Artes, nec fumos vendit amore lucri.
Altius hunc purum subuexit in æthera Phœbus,
Quàm qui sic læuo tramite serpat humi.
Nil minus, ac verbis alienas diuitat aures,
Ingerat vt loculis mille talenta suis.
Nulla futurarum sunt hic præsagia rerum,
Nec quæ cœlesti condita mente latent.
Longè aliud Medico scribendi præbuit ansam,
Iustaq; suscepti causa laboris erat.
Sunt, quibus Astrologi vel sidera vertice tangunt,
Et quicquid fingunt numinis instar habet.
Sunt qui præcipites vel ad infima Tartara mittũt,
Astrologisq; ferunt vanius esse nihil.
Iudicium morbo superante videlicet illos:
Atque hos transuersos, quò lubet, error agit.

Lemnius imbutus meliori Pallade, neutris
Aſſenſus, medium (non ſine mente) probat.
Aſtrologos ſequitur ſacras dumtaxat ad aras:
Quas ſi conſcelerent, deſerit Aſtrologos.
Quid veri, falſiq; habeant, velut indice monſtrat:
Quatenus & Phyſicis rebus habenda fides.
Proinde fac expendas ad amußim cuncta, priuſquam
Lector Ariſtarchi munus obire pares.





STROLOGIA, Artiũ vetustissima, ob diuinandi, nugandiq̃ temeritatem, atque impudentiam plusquam coniecturalis, & commentitia à veteribus explosa est: adeò vt huius professores ab eruditis aliquot proscindi conuiciis & suggillari cœperint, prorsusq̃ vanitatis, atq; imposturæ insimulari: quod ipsum nemo vnquam in artis contumeliam ab his esse factum in animum induxerit, nec calumniandi morbo, aut libidine, arti præclarissimæ, aut ijs qui illi ex professo sunt addicti, insultasse, sed ea mente in hoc argumento incaluisse, quòd perspicerent credulam vulgi turbam, ac promiscuam plebem plus satis illis fidere, illorumq̃ responsa tanquam ex tripode dicta arripere, sic vt omnem spem, ac fiduciam in illorum di-

ctis

ctis collocarent, iisq́ fixius inhærerẽt. Deniq quum huius doctrinæ professores nihil non pollicerentur, multorumque mentes inescarent, vel incantarent potius spe fallaci, atq ambigua, certatim à cordatioribus horũ profeßio cœpit irrideri, atq exibilari. Sic Cor. Tacitus: Mathematici, inquit, genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in nostra ciuitate & vetabitur semper, & retinebitur. Sic Seneca: Patere, inquit, Mathematicos aliquãdo verum dicere, qui Claudium, postquam Princeps est factus, singulis mensibus, singulis annis efferunt: & tamen mirum non est, si errant. horã eius nemo nouit. Fauorinus quoq apud Gellium prolixè contra illos agit, illorumque profeßionem magno verborum apparatu subruere, atq inter cætera huiusmodi argumentis conuellere tentat.

Lib.17.

In ludo Claud.

Lib.19. cap.1.

Aut

Aut aduersa dicunt euentura Astrologi, aut prospera. Si prospera, & fallunt, miser eris, frustra expectando. Si aduersa dicunt, & mentiuntur, miser eris frustra timendo. Si vera respondent, eaque sunt non prospera, iam indè ex animo miser eris, antequam fatũ finies. Si fœlicia promittunt, eaq; euentura sunt, tum planè duo erunt incommoda, & expectatio te spei suspensum fatigabit, & futurum gaudij fructum spes tibi deflorauerit. Nulla igitur huiusmodi præsagijs habenda fides. Erasmus itidem tali vtitur dilemmate, contráque illos sic ratiocinatur: Aut vera prædicũt Astrologi, aut falsa, aut ambigua: Si ambigua, perinde est, ac si nihil prædicant. Si falsa, contumelia est deludi mendacio. Sin vera, aut læta sunt, quæ dicuntur, aut tristia. Si tristia, miser eris ante tempus, & con-

Lib.2.de rat.concionand.

duplicabitur

duplicabitur malum. frequenter enim metus impendentis mali, est ipso malo grauior. Consequitur igitur, inutilem esse futurorum scientiam. Iam verò
Tuscul.1. Cicero non patitur viros cordatos mollibus cogitationibus effœminari. Nam si ante, inquit, mors ipsa aduentet, quàm Chaldæorum promissa sumus cōsequuti, spoliati magnis quibusdam bonis, destituti, illusique videbimur. Quòd si desiderando pendemus animis: cruciamur, angimur. Et quum hæc persuasio Iudæorum quoque mentes occupasset, multosque auerti à Deo curiosa astrorū obseruatione indignaretur
Cap.10. Hieremias: Iuxta vias gentium, inquit, nolite discere, & à signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes: quia leges populorum vanæ sunt. Pari
Cap.47. zelo incitatus Esaias, sic insultat populo Iudaico splendidis promissis deluso,

ſo; atque auida ſpe futurorum deſtitu-
to: Stent, & ſaluent te Aruſpices cœli,
qui contemplantur ſidera, & ſupputa-
bant menſes, vt ex eis annunciarent
futura tibi: ecce facti ſunt, vt ſtipula,
ignis conſumpſit illos. Poſtremò, quò
probatio ſit efficacior, Chriſti teſtimo
nia proferam: Qui quũ nolit nos anxiè
diſcruciari futurorum expectatione,
ſolicitam illam obſeruandi curam ani-
mis noſtris his verbis eximit: Nolite Luc.12.
quærere, quid eſuri ſitis, aut bibituri,
& nolite in ſublime tolli: hoc eſt, Ne-
mo veſtrũ ſit tam diffidentis, fluctuan
tiſque animi, vt ſuperuacua, & nihil
profutura ſollicitudine diuexetur, vt
qui ex aſtrorum curſu procul in futu-
rum conſulunt, ac ſciſcitantur à Ge-
nethliacis, quos euentus, ſucceſſuſque
ſint habituri. Hæc autem, & plæraq;
alia quæ hic congeri poſſent, & quibus
inuadi

inuadi à nonnullis Mathematici solet, ipsorumq; placita luxari: non eò accipi velim, quasi Astrologia despici, contemnique mereatur: quum non artis, sed professorum uitia hic designentur, qui ad imposturas nonnunquam illa abutuntur, fumosq; imperitæ multitudini offundunt. Habet enim Mathematice suas apodixes, nec omnino incertas, nec fallaces: sed intra has professores eius non consistunt, vt qui nulla certa, & probabili ratione, nulla demonstrationum peritia fortunas, euentaque rerum, & contingentium causas explorata compertaq; habere se exertè profitentur: qua persuasione incautis miris modis imponunt, & ignaras mentes ludificantur. Sic minutula quædam, vt pluuias, vt tempestates, fulgura, coruscationes, tonitrua, caritatem, atq; annonæ penuriam, morbos deniq; populares,

pulares, quos ἐπιδημίκα Græci vocant, quotannis denunciant, quum ferè nihil tale subsequi soleat, sed magna ex parte in contrariũ omnia deuergant: quo sunt eam existimationem paßim consequuti, vt pleriq; illos hallucinari, & cæcutire in assertionibus pronuntient, tum rarò scopum attingere & collimare. Quum autem eorum plerique sint à pietate synceroq́; Dei cultu alieni, nec (vt sacri vates olim factitabãt, quos ob id Videntes scriptura vocat) ex Dei præscripto suas prædictiones moliantur, nec ad amußim Euangelicam illas exigant: non verentur tamen inconsideratè decernere, quas clades sit acceptura Respub. quis futurus rerum status, quis cursus, quæ fortuna cuiq; obuentura sit, regibus, satrapis, dynastis, heroinis, opulentisque matronis: nam tales potißimum captant, ac venãtur,

Reg. 1. ca. 9.

ſpe & cupiditate lucri. De plebeis verò
atque tenuioris fortunæ, infimæq́; ſor-
Prouc.10. tis hominibus, qui Deo opt. max. etiã-
Pſal.112. num curæ ſunt, & ex quibus nonnun-
quam emergunt ad opes, ad principa-
1.Reg.2. tus, ad imperia, nulla mentio. Obſerua-
tum eſt anno inchoatæ ſalutis vigeſi-
mo nono ſupra ſeſquimilleſimum, graſ
ſante Cardiaca ſudorifera (quem affe-
ctum inter contagioſas ephemeras re-
fero) morbisq́; alijs populatim ingruen-
tibus, prorſus fuiſſe elingues, ac piſce
magis mutos. Inſuper quum ab anno in-
carnati Seruatoris trigeſimo ad hunc
qui nobis voluitur, quinquageſimum
ſecundũ, iam quartùm Oceanus, diſsi-
patis aggerum molibus, maximam Bel
gicæ partem oppreſſerit, tantamq́; ho-
minum pecudumq́ue ſtragem dederit,
vt nemini non terrorem & miſeratio-
nem tam luctuoſum funeſtumq́ue ſpe-
ctaculum

ctaculum incusserit, à nullo tamen Astrologorum hæc calamitas vel est præuisa, uel denunciata: magno argumento, hæc ipsa non tam siderũ coniunctionibus, ad quas omnia illi reducũt, quàm ultioni diuinæ esse aßignanda. Quòd si istarum rerum professores dexteritate quadam, atque artifici coniectura vti norint, facile efficiunt, vt euentus aliqui illorum dictis respondeant, aut non penitus aduersentur, repugnentq́. Nam plerique illorũ vafricie quadam atq; Vlyssæa calliditate regiones omnes perlustrant, & studia populi obseruant: tum in quem fauor hominum inclinet: qui rumores disseminentur, vel in laudem, vel in probrum cuiusq;: quid huic regi cum finitimo cõtrouersiæ aut simultatis: quæ sit inter fœderatos conspiratio: inter riuales contentio: inter competitores concertatio. Sic illis ferè

aſtra minari aiunt qui opibus minus valent, quique armorum atque amicorum præſidio ſunt deſtituti. Nunc rex Britãniæ periclitatur: Nunc Imperator inuictus ſiniſtri aliquid expectat: Nunc Galliarum rex aliquid monſtri alit, & quo regni limites proferat, bellum meditatur, etiam quum tale quiddam nunquam illi in mentem venerit: Nunc Turca infeſtiſsimus Chriſtianorum hoſtis ceruicibus noſtris imminet, atq; Europam terra mariq; inuaſurus dicitur: Nunc Eccleſiaſtici proceres ditione ſæculari ſpoliandi, quòd nonnullos, qui his non optimè volunt, affectare imperiũ videant. Sic modo huic, modo illi minitatum eſt fama, fauore, opinione, ac fortuna nutante, aut in hunc, aut in illũ minus propenſa. Hæc quum non malitioſè, nec petulanter, inſolenterque à me dicantur, ſed eo ſtudio, vt

quæ

quæ vitia arti ſubeſſe ſentiã, corrigantur: nolim mihi fraudi eſſe, aut à quoquam interpretari malignius, quum nemo me huius artis ſit ſtudioſior, illiq́; addictior. Nam is demum huic arti debitum honorem deferre videtur, qui inſpectis obſeruatisque ſideribus, mentem in illorum opificem erigit, quiq́ue horum vires, & quam habent in res inferiores efficaciam Deo aſſerit, Illud exclamans identidem

Tu ſtellas numeras, quarum tu nomina ſolus, Ouid. lib. Meta. 1.
Signa, poteſtates, curſus, loca, tempora noſti.

Vel, vt familiarius cum illo agas, verbisq́ue popularibus illi ſuas laudes & magnificentiam decantes,

Tu numeras ſtellarum myriades, Pſal. 146.
& ſingulis nomina imponis.

Verbo tuo Domine cœli ſtabiles Pſal. 32.
ſunt, & ſpiritu oris tui conſiſtit omnis virtus & ornatus eorum.

Iob.4. *Tu præcipis Soli, & non oritur, & stellas claudis velut obsignaculo.*

Psal.8. *Video cœlos, opera manuum tuarum, Lunam & stellas, quæ tu fundasti.*

Quæ quum euidenter demonstrent, Deum nihil temere, nihil frustra, aut fortuitò, sed omnia prouidè & solerter in hac mundi vniuersitate cōstituisse: nec paßim stellas, velut omni vi ac facultate destitutas, vagari ociosius: certò statui potest à viris etiamnùm Christianis inferiora hæc motibus cœlestibus duci, influxúque siderum seruari, foueri, ac vegetari herbas, frutices, arbores, virgulta, metalla, fodinas, & subterranea quæque. Sic Lunæ impulsu suos æstus habet Oceanus, & continēter dissultat ac reciprocatur: Sic Soli secundum Deum debetur, quòd non intermittit statis vicibus

Apud Ci- Cœlum mitescere, arbores frondescere,

Vites

Vites lætificæ pampinis pubescere, cer. Tuscul. I.
Rami baccarum vbertate incuruescere,
Segetes largiri fruges, florere omnia,
Fontes scatere, herbis prata conuestirier.

Nec solùm vi & calore Solis vegetabile quodq́, vt stirpes, atque arbores fructiferæ maturescunt, & incrementa sumunt: sed mentes quoque humanæ vigent, atq́ illustrantur. Nam magna ex parte sagaciora existunt, minusq́ue obstupescunt, quæ huic sideri vicina sunt, quæq́ Sol ipse fulgore suo propius irradiat: ad quod sic allusit Dido Virgiliana:

Non obtusa adeo gestamus pectora Pœni, Aene. li. 1.
Nec tam auersus equos Tyria Sol iungit ab vrbe.

Et quoniã sidera non vnã seruant faciẽ, sed varias formas, ac diuersos colores sibi asciscũt vel ex situ loci, cœliq́ ambitu, quẽ permeare solent, vel ex obiecti natura, & re quapiam illis offusa,

Ann.1552. Ianu.19. (Vt gemini nuper conspecti soles, & totidem irides præter solitũ longo auersóque à sole curuamine exporrectæ) ideo curæ est rerum Physicarum studiosis, quid illa portendant, exactius obseruare, atq; ex his prænunciare serenitates, ventos, pluuias, turbines,

Virgil. Geor.1.

Ac tempestates dubio prædicere cœlo,
Et quando infidum remis impellere marmor
Conueniat, quando armatas deducere classes.

Sic nautæ apud Belgas biduo ante Solis & Lunæ congressum, & totidem diebus post hunc, Oceani assultum obseruant, quem indigenæ voce gentilitia Sprinckstroom, vel Ghierstroom vocant: nam eo tempore mare intumescit solito altius, & fluctus crebrescunt: Cuius rei ignarus Cæsar, quũ in Oceano Gallico infidam statione esset nactus, amißis armamentis, conuulsisq; antemnis & artemone, propemodum classem elisit.

Comment. belli Galli. 4.

elisit. Similem Oceani æstum & Luna plena constanter fieri videmus, quo tempore conchylia, & testacea quæq; turgescere, & impleri contingit. Hæc autem, & pleraque eius generis tempestatum & rerum futurarum præsagia, quæ ex physicis prænotionibus eruuntur, non improbat, nec obseruari vetat Christus, quum inquit: Hypocritæ faciem cœli nostis dijudicare: Sed vult ijs Luc. 12. quæ menti cultum adferunt, parem adhiberi diligentiam, eorumq; obseruatores esse tum oculatos, tum curiosos. Medico verò eatenus obseruanda siderum ratio, quatenus ad quadripartitas anni varietates, ad corporum mutationes, ad morborum insultus spectat. Sic Galenus, Cumprimis, inquit, necessariũ De morb. vnaquaque in regione, vbi artem Me- vulg. com dicam obire instituis, perspexisse cu- ment. 1. iusq; sideris emersus obitusq;. quia tem-

 pora

pora anni ab his circumscribuntur. Quod ipsum rectissimè præcepisse mihi visus est: quum corpus humanum magnas ex hac vicissitudine mutationes sustineat, humoribus alijs vel emergentibus, vel subsidentibus. Sic euidenter perspicimus vere efflorescere sanguinem, & spiritus erigi: æstate flauam bilem efferuescere, atque iras exacui: autumno restagnare melancholiam, mentémque deijci, atque obnubilari: hybernis mensibus redundare pituitam, & corpus veterno opprimi. Iam cedò in quam causam aliam referri velis muliebris profluuij statas fixásque periodos, quàm in Lunæ motum. Nam quibus naturalis is fluxus est futurus, exactis triginta plus minus diebus, quibus lunare curriculum conficitur, excitari solet: quòd si serius, vel citius fluor ille decurrat, præter naturæ ordinem,

atque

atque ex morbo id fieri constat. Sic iu-uenculis, atq; iis quæ nubiles sunt, ma-turæque viro, à decimoquarto ætatis anno ad primum & vigesimum, pubes-cente Luna, ipsaq; in cornua modo fal-cata, mẽses profluunt, obseruata clima terici anni ratione. Ab ea verò ætate 7. & 9. *ad vigesimum octauũ, aut trigesimum primum Luna medio orbe diuisa, hunc sexum prolui contingit. Quæ verò ab eo annorum decursu ad trigesimũ quin tum prouehuntur, Luna plena, eaq; in orbem circinata, mẽsium profluuio ob-noxiæ sunt. Effœtis autẽ, & quarum ætas ad quinquagesimũ vergit, sensim desinunt muliebria, aut madores non confertim nec affluenter, sed collapsis meatibus, & conniuentibus locis, quar ta Luna, iamque senescente, proma-nant. Atque hinc prouerbiali sche-mate,* QVARTA LVNA NATOS *dicimus,*

dicimus, quibus sinistra, parũq; auspicata rerum omnium sunt initia. Quod ipsum non tam ad diem quartum, licet in eo humores etiam rarescant, subsidantque, quàm ad postremum Lunæ quadrantẽ refero. Nam qui senescente Luna, aut post huius dodrantẽ nascuntur, partim ob sideris defectũ, partim ob enitentis debilitatem ægrè atq; laboriose in lucem prodeunt. Quum enim parturienti loci dehiscere ac dilatari incipiunt, confestim erumpẽte humoris effluuio, musculos membranasq́; macerari, ac lubricas fieri contingit: qua vligine vulua destituta, vt quarta Luna assolet, cunctantius partus absoluitur, adeò vt vix magno conatu ac molimine ex tam angustis aridisq́; latebris infantulus eluctetur. Tale enim quiddam in partu imaginari debemus, quale in nauigijs, magnisque molibus

Simile.

subducendis

ſubducendis obſeruamus, quæ vncta, oleóque perfuſa commodius propelluntur: vel trochleis vnguine, ſeuoq́ illitis ac delibutis fune ductario quaquauerſum minimo negocio incitantur. Cæterum in conceptu, & partu omnia contraria exiguntur: In illo enim moderata ſiccitas & ſcabricies: in hoc læuor & mera lubricitas exquiritur, labraq́ vda atq́ hiantia. Sic ſternutamentum in conceptu, oſcitatio in partu noxia eſt: Quòd per illud dilatari ac diduci, per hanc præter ratione͞ concludi conſtringiq́ue vterum contingat. Porrò ijs quæ parturire incipiunt, ſalutaris ſternutatio: quæ verò concepturæ ſunt, oſcitatio: Sic vt poſt congreſſum maritalem oſcitare mulierem, firma plerunque conceptus argume͞ta præbeat: ſternutare verò, effluxum eius quod adhæſurum erat, indicat. Quamobrem inſtante

ſtante vrgenteque partu, aut ſecundis hærentibus, ſternutamenta ciere vtile eſt, quod hiſce Aphoriſmis Hippocra-
Li.5. Aph. cap. 35. *tes aſtruit: Mulieri quæ ſtrangulatu vterino moleſtatur, aut difficulter parit, ſternutatio ſuperueniens, bonũ. Itẽ Aphoriſ. 49: Vt ſecunda procidat, ſternutatorio appoſito, & nares appræhendito & os. Puerperæ itaq;, vt incepta perſequar, commodum facilemq; partum Luna plena experiuntur, quòd vterus humore muccoſo affatim madeſcat, cuius adminiculo infantem procliuiter deſilire contingit atq; elabi. Quãobrem mulieres quæ obſtetricandi munus obeunt, ruptis ſecundis, ac profluẽte humore lubrico, ſedulò inſtare operi par eſt, atque parturientem, vt alacriter eniti ſtudeat, placidè extimulare, præſertim vbi quarta Luna pariendi labor inciderit. Quòd ſi illam occaſio-*

nem,

nem, atq; huius rei conficiendæ opportunitatem præterlabi sinant, tam difficilè partus absoluitur, vt toto vitæ tempore illa enitendi difficultas & delassatio vtraq; adhæreat: sic vt in posterum dubia sint valetudine ac vacillanti, omnibusque membrorum functionibus improsperè vtantur: maxima tamē calamitatis pars in fœtum recidere solet. Nam hoc illi accedit ad malorū cumulum, vt vitam agat ærumnosam, atque infœlicem plerunq; in aggrediendis rebus successum habeat: siquidem non tam corporis viribus quâm consilio & prudentia, quibus res maximæ perfici solent, sunt destituti. Hinc igitur prouerbij origo profluxisse mihi videtur, quæ tamen apposité ad conceptum referri potest. Qui enim cōcepti sunt vtero destituto humore, quo fœtus alitur, quo vires & incremēta sumit, non pos-
sunt

ſunt omnibus numeris ſuis perfici, omniumq́ partuum facultatibus abſolui: quod ferè vſuuenire ſolet iјs, qui quarta Luna, arentiq́ue vulua, vt Eſdras ait, cõcipiuntur. Sic videre eſt illos qui à prouectioribus, vergentisq́ue ætatis matronis progenerantur, ob corporis ariditatem plerunq́ eſſe graciles, macilentos, ſtrigoſos: ob ſpirituum verò denſitatem rigidos, præfractos, refractarios, totosq́ue ἀγελάστους, atq́ à Gratiјs alienos: niſi forte in ea ætate progenitores blandi atque hilares, tum modicè vino concalefacti procreandis liberis operam dederint. Viſi ſunt enim ſeniculi aliquando inter ſe iuuenari & laſciuire, ſuaq́ue habere blandimenta, ac vernis menſibus in amplexus ruere: Nam ea pars anni prouerbium hoc nobis peperit, Nullus equus tam eſt effœtus, tamq́ exhauſto corpore, quin menſe

Eſd. 4. cap. 5.

ſe

ſe Maio hinnitum edat: Quo intelligunt, neminem tam ſenilis aut deuexæ ætatis, quin in amœniſsima illa anni parte aliquid ineſſe iuuenilis animi teſtetur, aut aliqua hilarioris, erectioriſque mentis indicia proferat. Hinc elice, quî fiat, vt infantium nonnulli viuidi ſint, alacres, erecti, geſticuloſi, moribusq́ planè Comicis: & quod ad externas notas adtinet, corpore ſucculento, colore florido, vultu blando, facie honeſta, & liberali, vt quibus bifida illa oris compago decenter ſit expreſſa, non os diſtortum, non frons tetrica & ſuperciliosa, non labra deformiter exporrecta, & protuberantia, non dentes exerti, & prominētes: ſed quod ad oculos, ad lineamenta, totiusq́ corporis ſpeciem adtinet, prorſus amabiles & gratioſi: Cuius modi conſtitutionis hominibus temperamentū æquabile & ſym- De temp. 1. & 2.

C metron

metron Galenus attribuit, quòd omnes facultates tum naturales, tum animales inculpatas inoffensasque obtineat. Alij verò his dißimiles, & toto diametro oppositi taciturni sunt, cogitabundi, atq; animo planè demisso, deiectoq;, aut quàm pro ea ætate sedatiore: colore denique exangui, aut qui albo est deterior, giluo, aspectu verò toruo, fronte obducta,

Pers. Sat. 3.
Obstipo capite, & figentes lumine terras,
Murmura qui secum, & rabiosa silentia rodunt,
Atque exporrecto trutinantur verba labello.

Quos ego vel ex morosis, vel seniculis, vel valetudinarijs prognatos iudicare soleo: quibus ferè, dum progignendæ soboli dediti sunt, vires flaccescunt, ac languidè, remisseq; connubiali munere perfunguntur. Sunt etiam plerique minus salaces, minusque feruidi, & qui grauatè huic rei operam impendunt,

dunt: hi quò vxoribus gratificentur, atque illas pacatiores magisq́ commodas experiantur, pensum concubitus persoluunt quidem, sed frigidè, flaccidè, & oscitanter. Quò fit, vt proles, siquas excitent, degeneres, minusq́ generosæ existant: quòd illis spiritus cum humoribus parcius, contractiusque distribuantur. Hinc arrepta est occasio quibusdam, vt dies, & signa quædam inominosa vitent. Quum enim per totius corporis partes Luna voluitur, studiosè cauet, nequod membrum aliquid incōmodi sentiat. Sic, Luna cùm Scorpio inhæret (quod insecti genus non in terris tantùm ictibus infestum, & exitiale est) in re Venerea sibi inducias imperant, nec consultum arbitrantur illas partes defatigare, quas Luna perreptat, & quæ Scorpioni attributæ assignatæque sunt. Non desunt, qui in Ειρωνικῶς.

ipso interlunio concubitum fugiant: quod non abs re mihi facere videntur, quum eo tempore venæ arescãt, & natura ijs præsidijs, quibus res ista perficitur, sit destituta. Quod si eiusmodi conditionis homines, vel casus, vel necessitas, seu debiti solutio (sine qua cõstare nequit pax domestica) ad concubitum impulerit, quum ferè meticulosè sese operi accingant, nec exactè rem ipsam perficiant, fit vt vel fructu præsentis operis frustrentur, vel qui concipiuntur, aut non sint vitales, aut macilenti & squarosi ex humoris defectu in vitam prodeant. Similes animorum affectiones in infantem recidere solẽt, siquando vel ira, vel mœrore, vel quauis alia perturbatione mentem opprimi, aut obnubilari contingat. Sic Socratem dicere solitum accepimus: Corporibus ebrietate diffusis, aut ira percitis,

Ad Corin. 1. cap. 7.

Plato de Rep. 6.

citis, non impendendã operã procrean-dis liberis: Nam fœtus moribus & mẽbris mutilos obliquosque procreant. Sic Diogenes aliquando conspicatus adolescentem lasciuum, atque improbis moribus: Ebrius te, inquit, prosemina uit pater. Nec sanè aliunde, quàm ex perturbati animi motibus proueniunt tot vitiati atque ante diẽ exturbati conceptus, tot abortus informes & inelaborati, tot prodigiosi partus, tot monstra portentaque hominum, tanta denique deliratio, tantusque error mentis, & alienatio: Adeo magni refert, quo quisque sit animi affectu, qua corporis constitutione, vbi propagationi prolium est deditus, aut in rem Veneream incumbit. Auxiliãtur autem his rebus efficaciter astrorum concursus: eaque ab Aristotele verissimè est prolata sententia: Homo generat hominem 2. Physicorum.

& Sol. Quæcunque enim in humore & calore consistunt, eoque perfici debent, Solis ac Lunæ motibus subdita sunt. Quod ipsum obseruãtes agricolæ, ligna quo minus carie infestentur, minusque vermiculis & teredini obnoxia sint, silẽti Luna cædere solent, vtpote humore excrementitio minus imbuta. Quæ verò seruntur, plantantur, inserũtur, inoculantur,

2. Georg. Aut vbi cultores aliena ex arbore germen
Includunt, vdoq; docent inolescere libro,

crescente Luna tempestiuius ea perficiunt. Nam citius adolescunt, atque incrementa capessunt succulenta quæque, atque affluentius humore perfusa. Sic colonis curæ est, frumenta senescenti Luna in horrea conuehere, quo sicca permaneant, atq; à curgulionibus minus impetantur: Quòd si humida tẽpestate, aut statu cœli Austri-

no ſata, demeſſasq́ fruges inferri contingat: vel renaſcuntur, vel aſſeruata promptiſsimè vitium contrahunt. Sic Zythus, eaq́ potio, quæ Cereuiſia Belgis dicitur, ex huiuſmodi fruge decocta citiſsimè acore vitiatur, tum panis confeſtim mucidus fit, ſituque obducitur. Atque huc refero, quòd Cereuiſia, (vt triuiali voce vtar) mẽſe Martio cocta, ſerius aceſcat. Quia maza polentaria, aut cremor ille frumẽtaceus (cuius decocto huiuſmodi liquamen & colore fulueſcit, & ſapore tantum non vini naturã aſciſcit) ex aëris temperie minus corruptelæ ſentiat. Nam eo tempore lupi ſalictarij flores, atq; frumenta tempeſtiuè recondita, in eumq́ vſum macerata, perẽnare ſolẽt, & per totius anni decurſum nihil vitij aut noxæ contrahere. Sic aqua cœleſtis, quæ menſe Maio delabitur, ob aëris ſalubrita-

Mout. Hoppe.

tem omnis corruptionis expers est, quũ id tempus inter calorem feruidum, & frigus intensum, ceu intra duo extrema constitutum, maxime temperatum existat: diffusa scilicet vndique florescentium stirpium, herbarumq́ suauitate & fragrantia. Quò fit vt nihil cōtagij concipiat, aut quod illi putredinis causam præbeat, assumat: adeo vt illam post triennium in vsum deprōpserim defecatißimam, atq; omnis vitiosæ alienæque qualitatis expertem. Quum igitur res inferiores sic afficiat cœli qualitas, tãtaq́ vi polleat Sol ipse dux & moderator omnium, ipsáque Luna (vt cætera præteream) suas vires conferat, licet aliena atque ascititia luce splēdescat: non temerè profectò, nec ab re siderum meatus obseruant Medici,

1. Georg. *Nec frustra signorũ obitus speculãtur, & ortus,*
Temporibusq; parem diuersis quattuor annum.

Multi enim morbi statis fixisq́ tem-poribus recurrunt, atque impulsu side-rum agitatis humoribus postliminio recrudescunt. Sic qui morbo Comitiali conuelluntur, atq; epileptia concidunt, quum aut Luna inchoatur, aut imple-tur, magna ex parte huic malo inuol-uuntur, statu ferè cœli nubilo atq; Au-strino, ipsóque sidere ijs corporis parti-bus infixo, in quibus delitescit is hu-mor, qui huic malo causam præbet & seminarium. Ideóque circa ea tempora purgationes his moliri studeo, tum co-ërcere morbi sæuitiem amuletis, atque alexipharmacis: inter quæ præsenta-nea comperi Pœoniam masculam, Ga-leno etiamnum celebratam, Scyllam, & illi congenerem Pancration, fruti-culum, quem Viscum vocant (quē gra-phicè his versibus expreßit Virgilius in lib. 6. Æneid.

Talis erat ſpecies auri frondentis opaca
Ilice, ſic leui crepitabat bractea vento,
Quale ſolet ſyluis brumali frigore viſcum
Fronde virere noua, quod nõ ſua ſeminat arbos,
croceo Et curuo fœtu teretes circundare truncos.)

Eelant. *Alcis animantis vngulam, poſtremò humani cranei ſcobẽ aut ramenta: eaq́; omnia vel exiccantis ratione, vel totius ſubſtãtiæ vi & proprietate. Quãobrem accuratè ſiderum ratio obſeruanda Medico in explorandis excutiẽdiſq́; morbis, in exhibendis catapotijs, in ſecandis venis, in ciendis ex morbo ſuppreſsis menſibus. Sic quo ars naturæ adminiculetur, iuuenculis, atque ijs quæ in ætate florida hoc præſidio ad præcauendos morbos opus habent, in nouilunio, aut plenilunio circa malleolos venam feriri iubeo, aut cucurbitulis coxis admotis ſcarificari. Sic horum decurſu præſagia Critica ſtabilire, fulcireque ſoleo, ſuccenturiata Hippocraticis.*

ticis. Nam hecticos, tabidos, marasmo & marcore affectos, quosque immodica siccitate atque atrophia, hoc est, nutriendi defectu implicari contingit: Silicernia denique & capulares senes, silenti Luna, æstuque maris subsidente, extinctum iri denuncio. Plethoricos verò, & quos morbis ex plenitudine aut humorū redundantia tentari video, ceu Peripneumonia, Pleuritide, Lethargo, Apoplexi, Cathoce, Caro, Catalepsi, morbisque alijs pituitosis & intercutaneis, Luna plena, æstuq; Oceani exundante interituros pronuncio, aut saltem plerosque eorum pro morbi conditione manifestam alterationem subituros, subsequente Critica sanguinis eruptione, vel ex quauis parte alia spontanea humorum purgatione. Hæc verò verbosius à me dicuntur, quòd Astrologiam plurimi faciam, nec velim

lim quenquam ab hac profeßione deterreri, sed incitari potius, & calcar adijci, modò in his versetur, quæ generi humano sint vsui, & absit in obseruando superstitiosa vanitas, atq; in pronunciando inconsulta temeritas. Nam
Sap.7. ad hunc modum is qui Sapientiam conscripsit, seu Solomon, seu Philo, obseruasse memoratur astrorum decursus, totiusq; cœli ambitum. Ex his enim vices rerum varias, atque innouationes insolitas subsequi videmus. Non enim temerè, aut ex nulla causa firmamentum, opus tam spectabile & visenda
Gene.1. specie, oculis hominum exhibuit Deus,
& 2. sed vt Mose teste, sit in signa & tempora, in dies & annos. Diuinatricē verò Astrologiā, seu iudiciariam (quam nōnulli profitentur verius, quàm præstāt) non omnino improbo, modo intra fines suas ipsa consistat, modò ne religioni

gioni fiat iniuria, & pietati iacturam inferat, modò ne nos, nostraque omnia siderũ necessitati superstitiosius astringat. Quòd autem præter artes innumeras, Mathematica potissimum sit amplectenda Medico, neminem, qui in operibus naturæ sit exercitatus, quique in rerum contemplationem mentē habet erectam, ignorare existimo. Quis enim rei Medicæ candidatus ab Astrologiæ placitis tam est alienus, qui quotannis non obseruet quid astra efficiant, & quas vires exerant in terrena concretaque ex elementis corpora cœlestes causæ? Sic vel ex plebe quiuis facilè perspexerit, Caniculæ ortum, atque ardentiũ stellarũ congressum vrere corpora, & siticulosa efficere, febres æstuosas excitare, siccitates & squallores (vt Hippocratis verbo vtar) inducere: sub qua tempestate ac cœli statu canes aguntur

De morb. vulg. li. 1.

*aguntur in rabiem, homines extenua-
tis resolutisq́ue spiritibus flaccescunt
& resoluuntur, Sues grandinosi fiunt
atq; strumosi: Pecudes & iumenta las-
situdine vlcerosa, languoreq́; morbido
afficiuntur, præsertim vbi aura æsti-
uis mensibus egelida est, aut flantibus
Etesijs & Euronoto tepescit. Nec so-
lum quicquid spirat ac vitale existit,
his iniurijs expositum est, his malis ob-
noxium, sed inanima quæque, atq; ipsa
alimenta ex aëris ambientis qualitate
noxam contrahunt ac vitiantur. Sic
etiam apud hos qui polo Arctico sub-
sunt, carnes rancescunt, & vermiculis
scatent, panis mucore sitúque obduci-
tur: Zythus & quæ Belgis Biria dici
tur, primo quoque tempore euadit aci-
da, restagnant apud hos putei, & ve-
lut Cocytus, aut Camerina mephitim
quandam exhalant: vestes à tineis, à*

blattis

blattis papyracea eroduntur: fruges rubigine, herbæ vredine infestantur: teneros olerum coliculos, plantarumq́ asparagos ac turiones erucæ depascũt: è caseis scaturiunt teredinũ examina: vinum in cellarijs, nisi in intimos recessus reconditũ, porticibus fenestrisq́ Aquiloni oppositis, modò fluctuat ferueſcitq́ue, modò pendulum fit, ac mellis lentore tenax, & glutinosum, ex cuius potu calculi in renibus, in articulis, purulenta cõcretio, & tophacea duricies congelascunt. Quæ quum magno mortalium damno ac detrimento quotannis spectemus, quis non assentiat astrorum cursus effectusq́ obseruandos Medico, tum rationem ineundam, qua horum incommoda declinari, euitariq́ue possint? Cæterùm nolo quisquam existimet sic me patrocinari Astrologis, vt omnia illorum demonstrationibus subijciam:

ſubijciam: neque enim penitus Mathematicis rationibus inhæreſcunt Medici, vt qui in materia, & humorũ commixtione, morborum tum cauſas tum differentias perquirant, quum Mathematici morbos, eorumq́ue ſymptomata ad ſiderum concurſum referant. Sic Martis aſpectus, vt iſti ſtatuunt, bilioſos efficit, irritabiles, feruidos, ſuiq́ue generis morbos parit, nulla habita flauæ bilis, aut rubræ choleræ ratione: Saturni ſidus melancholicos effingit, tetricos, moroſos, amarulentos, quartanisq́ obnoxios: pari modo de reliquis ratiocinãtur. Hinc Perſius, quòd Cornuto philoſopho indiuulſè cohæreret, tantusq́ue eſſet vtrinq́ animorum conſenſus, ac ſympathia, aſtrorum motibus his numeris id aſſcripſit,

Sat. 5. Non equidẽ hoc dubites, amborum fœdere certo
Conſentire dies, & ab vno ſidere duci:

Noſtra

Nostra vel æquali suspendit tempora libra
Parca tenax veri, seu nata fidelibus horis
Diuidit in geminos concordia fata duorum:
Saturnumq́; grauem, nostro Ioue frangimus vnà.
Nescio quod certe est, quod me tibi temperat astrũ.

Quibus sanè vt non repugno, ita Medicorum sententiæ potius adhæreo. Nam firmioribus illi rationibus mihi niti videntur, vt qui ad qualitatum elementarium mixturas, ad temperamenti differentias, ad humorum exuperantiam & defectum omnia referant. Siquidẽ Medici in morbi naturam, eiusq́; symptomata defixi, decumbentem periculo eximunt, mortique eripiunt, in tempore atque opportunè adhibita venæ sectione, aluique ductione, tum ijs quæ vrinas, quæque sudores eliciunt, atque humorum collectiones discutiũt, quorũ præsidio sublata humorum redundantia & ebullitione, discussa putredine & oppilatione, mitescũt morbi,

& quæ comitari solent accidentia con sopiuntur. Nec verò Medici, quamlibet dira minentur astra, quantumuis siderum aspectus formidabilis existat, sibi moras inijci patiuntur, aut à legitima curandi ratione absistunt: sed quum morbus vrget, & infestus est, omnia quæ dictat ratio, quæ suadet experientia (quîs duobus tota medicina nititur) non segniter circa ægrotũ moliuntur, nec à venæ sectione deterrentur in ea etiamnum parte corporis, cui Luna insistit, atq; immoratur. Et profectò hoc vno mihi semper visa Medicorum sententia potior, quòd quum ad sanitatem tuendam, profligandosq́ue morbos sua consilia dirigunt Medici, vnica ratione & denunciare morbos, & ijs commodè mederi norunt, vitæq; & valetudinis incõmoda disertè prædicere, & dextrè propulsare: quum

Astrologi

Aſtrologi non ad curandi rationes, ſed euentuum modò prædictiones nonnunquam malefidas intenti ſint, omniumq́ morborum, & contingentium cauſas aßignent aſtris. quæ vt donem in corpus, illiq́ue cohærentia aliquem locum, effectumq́ue ſortiri: hoc tamen axioma, ſeu pronunciatũ, vt rationi & vero conſentaneum, omnibus perſuaſum eſſe conuenit: Aſtra nec animo imperare, nec mentẽ aut voluntatem illorum vi incitari. Anima enim non eſt elemẽtaris: & aſtra, ſiquid efficiunt, non agunt, niſi in ea quæ ex elementis conſtant, atque è rerum concretione conflantur. Inſuper & hoc paradoxi loco adijciã, cui, quòd ad probationem non deeſſe rationes intelligam, ego lubens aſſenſum facio, & neminem non aſſentiri credo, nempè: Longè minores motus ciere in corpore aſtra, multoq́ ine-

fficacius & tardius impellere ad agendum concursum influxumq; siderum, quàm qualitates ipsas elementares, quàm humores corpori cognatos & familiares, quàm ipsa alimēta ex quibus humores suam naturam, suasque qualitates sortiuntur. Aliquantò enim cōcitatiores, magisq; feruidos vinum facit meracius liberaliusque haustum, quàm Martis rutilantis radij. Nōnulli enim, vbi vino plus satis incalescūt, ad arma prosiliunt paulò ardētius, quàm si ex astris impelli contingat. denique paulò acrius lumbos incitant, partesq; corporis abditas atque obscœnas tentigine afficiunt scincus, bulbi, orchi, satyriones, cicercula, fungi, eruca, nasturtium, rapæ, napi, eryngiū, cinara, scolimos: quàm Veneris, aut cuiusuis sideris influxus & inclinatio. Sic salubris diæta, victusque temperantia, &

frugalitas optimum corporis habitum, motusque animi sedatos constituunt. Praua autem viuendi consuetudo, quæ luxum vitæque intemperantiam comites trahit, deterrimum corporis habitum efficit: ex quo ferè similes animorum motus, affectionesque emergunt. Nam plerunque, vt Galenus asserit, Animi mores corporis temperaturam sequuntur. Cæterùm nemo tam est infœlici constitutione corporis, nec tam inæquali intemperie, quin salubri alimētorum vsu, & laudabilis succi cibis, appositisque exercitijs deprauatum corporis habitum ad commodiorem poßit reducere. Humores enim atq; alimenta subinde alterascunt, atque alia in alia promptè transeunt qualitatum permutatione. Sic admodū facile est ex Cholerico vel Melancholico sanguineū perficere: vel, vt ad qualitates potius hæc Galen. de Temp. li. 2.

 referam,

referam, frigido & sicco, vel alterius qualitatis temperamento calidum atq; humidum inducere, tametsi vel Martis, vel Saturni sidus rapit in contrarium. Sic quod ad internas notas adtinet, Sæpè videas Phlegmaticum veternum & torporem excutere, Cholericũ concitati animi impetus, atque excandescendi procliuitatem cohibere, Sanguineum ad seueriores mores se componere: Melancholicum anxium, & ex nulla causa solicitum animum exuere. Vt enim feræ & immanes bestiæ cura atque officio hominum mansuescunt, & cicurantur exuta natiua, insitáque feritate: vt denique generosi ac feroces equi palpo & popysmate condiscunt

Georg. 3. Insultare solo, & gressum glomerare superbum:

Ita natura hominis mutationibus assuescit, fingẽtisq; obsequitur arbitrio, sic vt non in corpore modo, verũetiam in

in animo ad diuersos mores & studia, ad aliam vitæ consuetudinem reducantur. Natura enim humana, vti stirpes & virgulta, cultu domita & condocefacta, in omnem partem flexilis atque obsequiosa est. Siquidem

Vt laus est ceræ, mollis cedensq; sequatur
  Si doctos digitos, iussaq; fingat opus,
Et nunc informet Martem castámue Mineruam,
  Nunc Venerem effingat, nunc Veneris puerum:
Sic hominum ingenium flecti, duciq; per artes
  Haud rigidas docta mobilitate solet. Ex Plinij Epistolis.

Quod ipsum nemini absurdum videri debet, quum sint homini insita virtutum semina, ipsáque mens imbuta sit artibus etiam ante artes. Ratio enim menti indita omnes artes in se complectitur, illasq; animo inclusas elicit, vt nos attritu silicis scintillantes igniculos. Quod si huc accedat proba institutio, mentemq́ue diuinitus afflari contigerit, non est quòd quisquam metuat De vsu Part. Gale. lib. 1.

quamlibet ferale sidus, aut noxium. Dici autem vix queat, quàm commodè, quàm inculpatè, quamq; ex vsu valetudinis in his qui liberaliter incorrupteque sunt educati, perfici contingat naturalium facultatum potentias, cæteraq; inoffense administrari, quibus sanitas consistit & conseruatur: qualia sunt cibus, & potus, quies, exercitatio, somnus, vigilia, aëris ambientis qualitas, affectiones animi, ex quibus ferè infinitæ corporum differentiæ, motusq; animorũ dissimiles oriuntur. Gentes enim & nationes omnes non solùm locorum interstitijs distant, ac discretæ sunt, sed etiam cultu inter se differunt, lingua, moribus, alimentis, corporum atque animorum varietate. Sic intra vnius ciuitatis mœnia, intra eiusdem domus septa, & ædium conceptacula, quæ ingeniorũ, morumq;

dissimili-

diſsimilitudo perſpicitur: quale animorum diſcrimen, quanta corporũ diſparitas: Iulius Firmicus, quò artem ſuam plauſibilem factitet, eamq́ue attollat in immenſum, omnium rerũ ordinem, curſum, fortunam, caſus, atque euenta ad ſuam profeſsionem refert, cœloq́ue & aſtris horum cauſas aſsignat: quod vt in præſentia non libet refellere, in eoq́ eſſe contentioſum, ſic educationem maximam habere vim, ac plurimũ hac in re momenti obtinere prorſus ſtatuo, illiq́ue omnia expenſa, acceptaq́ue refero, vt quæ in tota ratione mortalium ſola (vt Plinij verbis vtar) vtranque conficiat paginam. Nam ſi multorum populorum ſtudia, mores, propẽſiones, conatus, atque molimina libeat excutere, inuenies non ab aſtris, ſed ab educandi ratione, & patria conſuetudine hæc ipſa pendere: Sic Naturalis hiſto. lib. 2. cap. 7.

In arte Poët. Graijs ingenium, Graijs dedit ore rotundo
Musa loqui, præter laudem nullius auaris:

Sic Thessali veneficijs infames, Leontini poculis addicti, petulantesq́ ac lasciui: Sybaritæ luxu perditi, fastuq́ turgidi: Viles Cares, & vænale mancipiũ: Milesij molles & delicati: In disciplina militari seueri Lacedæmonij, & eorũ coloni Crotoniatæ: Callidi ac fraudulenti Thraces: Galatæ stolidi, & (vt Paulina vtar voce) ἀνόητοι: Cretenses, vt idem ex Epimenide refert, semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri: Galli agiles, erectæq́ mentis, & inquietæ, ingenio vario, versatili, panurgo, & nato rebus agendis: Obiter illos

Galat.3. Tit.1. Galli.

Iuuenal. Sat.3. Esse putes quemuis hominem: tum dicier aptè
Grammaticus, Rhetor, geometer, pictor, aliptes,
Augur, scænobates, medicus, magus, omnia nouit:

Itali. Itali magnificentia regia, & maiestate prorsus heroica spectantur, incessu moderato, cultu, habituque corporis

ris decenti & composito, ingenio ad dicendum apposito: cæterum simultatũ, atque iniuriarum tenaces, ac vindictæ auidi: Hispaniarum populus, qualem Horatius in arte Poëtica producit Achillem, Hispani.

Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Iura negans sibi nata, nihil non arrogat armis.

Britanni in cultu, & corporis nitore splendidi, in victu delicati, & sumptuosi. Sed pleriq; eorum inhospitales, & inhumani, ne dicam crudeles: vt qui in victos inclementer sæuiant. (quũ olim Romani, orbis domitores, victis, vt Salustius ait, nihil præter iniuriæ licentiã eripere soleant:) doctrina tamen, & institutione iampridem illorum ingenia mitescere, minusque ferocire didicerunt. Germani magnanimi, atque animosi, sed ex veteri instituto prædationibus assueti: quæ, vt Cæsar Britanni. In bello Catil. Germani.

ait,

De bello Galli. 6. Mela li. 3.

ait, nullā habent apud illos infamiam, vbi extra fines cuiusque ciuitatis perpetrantur: eas enim exercēdæ iuuentutis, minuendæque desidiæ causa tolerari prædicant, & ne ea ætas otio ac veterno torpescat. Flandri ex Pleumosijs, Gordunis, atque Aduaticis conflati, lingua & manu prōpti sunt, in bello audaces, & nullis posthabendi, nisi poculis atque amoribus illorum virtus languesceret. Quod verò ad huius gentis vulgarem & vernaculum loquendi vsum spectat, nusquā gratior verborū blandicies, & lenocinium, nusquā maior comitas, affabilitasque sermonum. Nec solum in patrio, natiuoq; idiomate diserti sunt, linguaq; fluxa, volubili, & flexanima, sed externas peregrinasq; linguas tā exactè sonare consuescunt, vt non cuiuis promptum sit, innatáne sit hæc illis, an ascititia, dijudicare:

Flandri.

re:

re: adeo penitus gẽtilitia loquendi proprietas ijs aboletur. Quæ naturæ dotes plerisq; nationibus in discendis, exprimendisque linguis prorsus denegãtur. Brabanti, quos Ambuaritos olim dictos ex Cæsare colligere licet, symposijs gaudent, & compotationibus deditis sunt: Quod testantur tot apud illos encenia & sodalitates, tot dies Geniales & Soteria: quo fit vt senectutem minus grauem atque onerosam sentiant, nec, vt cæterarum nationum, seniculi morosi aut queruli existãt, nec inertis & somniculosæ mentis, sed qui ingrauescente ætate viuant hilarius, ac mores planè Comicos scenicosque exprimant, sic vt quàm minimum imaginationibus melãcholicis se inquietari patiantur, imo his obsistant potius, atq; obluctentur: Qua viuendi ratione efficiunt, accedente aëris tẽperie, vt lõgæui

Brabanti.

ui ſint, tum cruda omnes, viridíque ſe-
Hollandi. necta. Batavi, quos Hollandos modò
vocant, olim (vt Lucanus & Tacitus
teſtantur) inter inferioris Germaniæ
populos virtute & belli gloria præci-
pui, nunc verò reſides, & diſſueti bello
ob vberrimum annonæ prouentum, re-
rúmque omnium affluentiam, obeſi, ac
ventricoſi potius eſſe ſtudent, quàm
bellaces: ſic ut pleriſque

Perſ. Sat. 1. Pinguis aqualiculus propenſo ſeſquipede extet.

In his tamen nihil fuci depræhendas,
nec illos quidquam vel ſimulatè, vel
inſidioſe agere: quò ſpectat illud C. Cæ-
ſaris, qui à nonnullis admonitus, vt ab
Antonio, & Dolobella ſibi caueret:
Non iſtos, inquit, metuo obeſos, & ru-
bicundos, ſed illos macilentos & palli-
dos, Brutum & Caßium deſignans.
Itaq; Hollandi, tametſi ad res gerendas
minus appoſiti videantur, & ab vſu
armorum

armorum alieni, humanitatis tamen, & candoris haud quaquam ſunt expertes: In ædibus verò, & domeſtica ſupellectile omnia apud illos ſpecioſa ſunt, & muliebri cura niteſcunt. Zelandi, qui à Cymbris profluxiſſe memorantur, Mattiaci Tacito dicti, moribus plerumque rusticanis atq; incultis exiſtunt, ſed laboris patientes, in rebus aggrediendis audaces, in bello intrepidi, in conficiendis negotijs celeres & expediti, in re nautica ſtrenui. Negociatores illorum callidi & cati, ad rem attenti, in contractibus aſtuti, verſipelles, & polytropi: inter quos ſunt minuti quidam & ignobiles, qui quũ non liberaliter, nec ingenuè mercaturam exerceant, omnia callidè, verſutè, inſidioſè agunt, vtque Virgilianus ille Sinon,

Zelandi olim Mattiaci dicti.

Qualers vulgò dicuntur.

– In vtrunque parati,

Aeneid. 2.

Aut

Aut versare dolos, aut ijsdem inuoluier ipsi.

Qui verò ex erythrodamo, quam rubeam vocant, quæstum faciunt, atque emolumenta spectant: quiq́ue saperdas & salsamenta venditant, denique Salinatores ipsi, quorum in Zirizæa ex viris primarijs maior, quàm apud reliquos Belgas copia est, optima rerum contractarum fide vtuntur, magistratus etiamnum interposita attestatione, affixaq́ue mercibus peculiari tessera, sic vt nulla in his suspicio, vel fraudis, vel doli mali incidere possit. Qui autē à plebeis moribus remotiores, atque à negociandi consuetudine alieni, literis & disciplinis se oblectant (quorum sanè apud hos permulti) simili ferè sunt ingenio, quo fuisse Aristotelem & Isocratem refert Cicero, quorum vterque suo studio delectatus contempsit alterum: Quæ æmulatio hoc effecit superio

Lib. 1. Off.

ris ætatis memoria, (nam id vitium nunc ſublatũ eſt) vt nulla fuerit inter eruditos conſiliorũ, ſtudiorumq́ cõmunicatio: nulla inter eiuſdem artis candidatos & ſymmyſtas vitæ coniunctio, nulla ſocietas : rari amicorum cœtus, rari conuictus domeſtici, congreſſusq́ familiares: quum tamen propter ſermonis feſtiuitatẽ tempeſtiuis moderatisq́ conuiuijs impenſe ſe delectatum apud Ciceronem refert Cato : atq; ab his non modò non auocat, verumetiam inuitat atq; illectat Plato: non certè ob aliud, quàm vt quiſq; animi nebulas, & quæ vel inuitis nonnunquam obrepunt abſurda phantaſmata, huiuſmodi laxamentis diſcutiat, diluatq́ue. Nec ſanè cuiuſquam magis intereſt φιλανθρωπίαν inter ſe colere & fouere, quàm eorum qui humanitatis ſtudiis ſunt imbuti. Hæc autem morum atque ingeniorum

De Senect.

Lib. 1. & 2. de legibus.

discrimina (quæ nullius vel iniuria, vel contumelia, sed illustrandi argumenti causa obiter à me referuntur, vt quæ in rudi atq; imperita plæbe passim elucescant) partim ab auitis moribus & progenitorum natura, partim ex alimentis atque ambientis aëris qualitate, præcipuè autem à prima institutione, atque inueterata consuetudine profluxerunt. Sic videre est pleràsq; gẽtes rebus inclinatis, ac statu publico labente in deterius, ad corruptissimos mores esse prolapsas: rursus alios mutatis moribus, relictoque veteri atque inolito errore, erectos in melius, ac laudabile vitæ institutum asciuisse. Sic obseruatum est nostra & auorum memoria Cisalpinos aliam vitam, alios mores assumpsisse, vel alterius gentis coalitu & commixtione, vel per nomophylaces, hoc est, legum conditores, sanio-

ri inducta disciplina. Sic Belgæ cultissimis moribus esse cœperunt, postquàm huc inuecta negotiatio, & tot opulentissima emporia erecta sunt, postquam huc inducta artium atque humanitatis studia: quæ profecta primùm ab Academia Louaniẽsi (qua nulla celebrior) progressu temporis in finitimas quasque regiones deriuari, propagaríque cœperunt: postquàm denique inuictissimus Imperator Carolus eius nominis Quintus has oras frequentare consueuerit, tot viris heroicis, atque illustribus, tot inclytis ambactis (vt Cæsaris voce vtar) stipatus. Quibus rebus effectum est, vt homines olim barbari, atque ab omni humanitate alieni, nunc lingua, cultu, moribus quosuis non ementiri, sed ad viuũ exprimere didicerint. Sunt enim istiusmodi hominum ingenia propemodum vti frutices atque arbusta,

Lib. 4. de bello Gall.

quæ si commodè & accuratè tractes, facilè, vt ait præstantissimus Poëta,

2. Georg. Exuerint syluestrem animum, cultuq; frequenti
In quascunq; voces artes, haud tarda sequuntur,
Quippè solo natura subest.

Vt igitur vitiosum ac deprauatũ corporis habitum admodum facile est mutare in melius: ita quæ cuique gentilitia sunt, & cognata, quæq; à prima saliua, atque inter ipsos nutricum amplexus inhæserunt, admodum procliue est, siquid habẽt vitij, vel eximere, vel coërcere, nulla habita siderum ratione, eaq; vel neglecta, vel non anxiè obseruata. Cæterum in his quæ ad res naturales, ad elemẽta, ad qualitates spectant, non patiar Astrologiam debita laude fraudari: sed metas statuo, atque ijs fræna inijcio, qui impudentia quadã circulatoria vagantur longius, & (quòd hinc quæstus manat vberrimus) inexplorata

ta pro certis, dubia pro veris, incognita pro compertis hominum mentibus ingerunt: Quo non aliud consequuntur miseri, qui ab his responsa petunt, atq; oracula scitãtur, quàm vt excussa expugnataq; animi stabilitate inconsultis motibus ducantur. Nam plerosque noui Genethliacorum persuasione imbutos, ingrauescentibus morbis, aut calamitate aliqua sæuius ingruente, remedia quamlibet præsentanea respuisse, omniaque vitæ & valetudinis solatia, ac doloris lenimẽta penitus auersatos, sic vt metum mortis, aut inanẽ aliquã opinionem impendentis mali, quam ex vanis quorundã augurijs conceperant, ægrè sibi eximi paterẽtur. Alios obseruaui tam supina securitate, tantaq; licentia ætatem transigere, vt freti quorundam præsagijs, ne dicã præstigijs, nullis mouerentur terroribus, nec vllis

 periculis,

periculis, vllisque malorum aut morborum insultibus concuterentur: sic vt prorsus sibi persuaderent, ea omnia, quæ generi humano quamlibet acerba diraque ac formidanda singulis momentis impendent, nihil ad se pertinere, ab ijsque se omnino fore tutos, atque immunes. Quod ipsum hi solùm sibi persuasum habere & possunt & debent, qui se Verbo Dei fulciunt, eoque subsistunt, quique ex fiducia in Seruatorem, nulli non expetendā atque optabilē illam: εὐθυμίαν iure sibi vendicant, quæ quid efficiat in animis hominum, cùm

Cap.4. Paulus ad Romanos abundè demon-
Psal.91. strat, tū Psalmi & Prophetæ nusquā
Esa.13. non testificantur. Huc igitur nostri instituti ratio, atque huius narrationis scopus dirigitur: Ne quis Astrologiam figmentis nugisque contaminet: nec superstitiosius siderum vires in

fortunas,

fortunas, in liberos animi motus, in consilia actionesque nostras ac voluntates, tãquam illorũ necessitati obstrictas, penetrare sinat: Postremò (in quo totius rei cardo vertitur) ne sit alter in consultationibus expetẽdis nimium vel curiosus vel credulus, alter in ijs pronunciandis plus satis aut præceps aut temerarius. Siquidem, vt Virgiliano carmine rem finiam,

Nescia mens hominum fati, sortisq; futuræ. Aenei.10.

Leuini Lemnii

MEDICI ZIRIZÆI

DE PRÆFIXO CVIQVE VITAE termino.



GRATA BREVITAS.

Χάρις βραχεῖσιν ὀπηδεῖ.

CLARISSIMO, SVMMÆQVE VIRTVTIS AC GENEROSAE INDOLIS

iuueni Philiberto à Seroskerka Leuinus Lemmius Medicus S. P.



Visse tibi acerbam ac luctuosam, Philiberte clarißime, præstantißimæ Heroinæ Leonoræ à Seroskerke matris tibi vnicè adamatæ mortem, nemini mirum videri poterit, cui perspecta fuit eximiæ illius virtus atq; incredibilis erga suos amor & φιλοστοργία. Cuius iactura eò iudicari debet acerbior, quòd præmaturè tibi fuerit erepta, eaq́; ætate tu illa sis orbatus, qua maximè tibi & numerosæ soboli subsidio atq; ornamento esse potuisset. Quamobrẽ cum de præfixo cuiq; vitæ termino quædam essem cõmentatus

tus, ea tibi dedicanda putaui: quo te solarer, atq; hunc mœrorem eximerem: Quanquam in mitigando sopiendóque hoc dolore, meo consilio, meisq; monitis nihil opus habeas: quum hoc effecerit generosus vir Hieronymus à Seroskerka, pater optimus, vt humanitatis studijs abundè imbutus, ac clarissimorum virorum exemplis affatim instructus, ipse tibi solatio esse possis, tuóque dolori cumulatè mederi. Qua de causa maior est apud me, augescitq; tanti viri existimatio, illíque multum solidæ laudis defero: non quòd meis colloquijs & differendi rationibus impensè delectari soleat, sed quòd doctos quosque, ipse doctissimus mirificè amplectatur, animoq; in illos sit propensissimo: eoq; hoc potissimum illi est in votis, vt te non tam amplis opibus & generis splendore, quàm eruditione & dicendi

artibus

artibus illustrem faciat. Quod ipsum in summis aliquot viris desiderari vehementer equidem doleo. qui si illis naturæ dotibus, si amplißimis facultatibus, si tot latifundijs quæ vel eripi possunt, vel imminui, doctrinæ studiũ ac literarum decus adiecissent, aut saltẽ, quia hoc illis vel negatum est, vel amplecti serum, suis ad hæc capessenda essent adiumento: profectò spectatior foret illorum virtus, magisque apud suos plausibilis & gratiosa. Siquidem præclaræ opes, magnæ diuitiæ, decora facies, corporis robur & præstantia, ipsa quidem magnifica sunt, sed quæ plus essent habitura momenti, plus ad commendationem ac fauorem conciliandum efficaciæ, si doctrinæ studijs forent fulta, atque eruditione stipata. Itaque huiusmodi viris non adimo insitas naturæ dotes, sed eas doctrina perfi

ci cupio, ac materiæ probæ quidem, ſed impolitæ egregiam formam induci. Soleo autem doctos componere auro obrizo, inſigni aliqua aut ſpectabili gemma decorato: Illos verò qui prudentes quidem ſunt, & naturali iudicio præditi, ſed à doctrina alieni ac literarum præſidio deſtituti, auro inelaborato rudiq́ꝫ, ac ſcoria nonnihil vitiato. Duo enim ſunt quæ in eiuſmodi rebus oblectant oculos, ipſe ſcilicet gēmarum color, deinde apta, cōcinnaq́ꝫ collocatio. Afficit enim, perſtringitq́ꝫ per ſe oculos Smaragdi amabilis viror, Vnionis candor nitidus, Carbunculi rutilus fulgor, ſed quæ oculis magis blandiātur, aſpectuq́ꝫ ſint gratiora, ſi horum ſingula auro ſint inſerta. Huiuſmodi ſimilitudine (vt noſti) vti ſoleo in defendēda cauſa doctorum apud illos, qui ægrè ſuſtinēt aliquid prodire ab eruditis, diſcrepans

aut

aut diuersū à vulgari hominū opinione, aut qui grauatè ferūt illorū virtutē atq; eruditionis laudē impēsius deprædicari. Quibus quū ego optimā mētē precari soleā, tū Persius tale quiddā his imprecatur, qui aliorum virtutibus vrūtur:

Magne pater Diuûm, sæuos punire tyrannos
Sat. 3. Haud alia ratione velis, quum dira libido
Mouerit ingenium feruenti tincta veneno,
Virtutem vt videant, intabescantq; relicta.

Quòd aūt docti indoctis præstent, multoq; ijs præstātior adsit vis & acumen ingenij, cognitio delectusq; rerū maior, dicēdi facultas vberior, veri falsiq; sciētia exactior: ex tot artibus illorum industria partim inuētis partim illustratis, quiuis, cui aliquid sit in iudicando pensi, facilè obseruauerit. Siquidem sacratißimæ leges à præclaris ingenijs, adhibita in consiliū ratione, menteq; in maiestatem numinis erecta, cōditæ, & ciuitatibus iura cōstituta sunt: Res me

dica

dica ab illis inuenta ac studiosius exculta est: Sacrosancta Theologia non sine afflatu spiritus, horũ interpretatione nititur: Quicquid deniq; in hominũ usum, in Reip. conseruationẽ inuentum aut excogitatũ est, non absq; doctrina perfici, absq; viris literatis cõsummari potuit: adeo rebus omnibus impressa sunt doctorum vestigia, quibus magna pars mortalium insistit. Sic Imperatores & Principes spectatæ virtutis atq; eruditionis viros sibi asciscũt, quò fulti illorum consilijs, regno inaugurentur auspicatius, illudq́; administrent fœlicius: Sic expertos fidosq́; medicos corpori curando adhibent, quò inculpata sanitate diutius fruãtur: Sic mentium cultores, & quos formandis moribus præesse vident, auidè amplectuntur. Et quamuis doctis sui non desint affectus, sua vitia, suæ ad malum propensiones:

ſiones: acrius tamen his omnibus obſiſtunt, minus obſequuntur cupiditatibus, παθήματα motusq́ue turbidos melius compeſcunt, nulla patiuntur apud ſe reſidere odij, aut ſimultatis veſtigia: tantiq́ue apud illos eſt εὐθυμία, hoc eſt, placida quietaq́ue conſtantia, vt vltro etiam illis ἀμνηστίαν denuncient, à quibus ſunt laceßiti. Quis enim, perturbato animo, menteq́; confuſa, ac furijs agitata, ſtudijs aut doctrinæ locus? Quam obrem præclarè mihi facere videtur generoſus vir Hieronymus à Seroſkerka, vir præter equeſtris ordinis dignitatem multis nominibus ſuſpiciendus, quòd modis omnibus ad literarum ſtudia te inuitet, ad eaq́ue amplectenda tibi ſit incitamento, quæ extra fortunæ aleam ſunt poſita. Quod quũ me nemo melius nouerit, eóq́; mihi ſæpius laudata ſit parentis optimi in filium

pietas: filij in obsequendo promptitudo & alacritas: captata est hinc arreptaq; mihi occasio à morte spectatissimæ heroinæ, vt hoc argumentum illustrandum assumerem. in quo duo potissimùm mihi præstanda visa sunt, & maxima disputãdi sobrietas, & summa in asserenda diuina prouidentia diligentia. Omnibus enim persuasum esse cupio, nihil temerè aut fortuitò in huius vitæ cursu fieri, sed Deum curare mortalia, illíque res hominum curæ esse, atq; ijs affluenter prospicere. Et quanquam multa absq; eius volũtate fieri possint, nihil tamen absque eius prouidentia, absque eius permissu euenire, certo atque immobili dogmate profiteor. Quà persuasione omnium mentes imbuendas censeo, quò multos scrupulos, magnosque tumultus illorum animis eximi contingat, qui ignorata rerum con-

Orig. ho. 3. in Genes.

tingentium causa, sinistrè, parumque reuerenter de suprema maiestate sentiunt, quiq; immeritò, ne dicam improbè, rectorē vniuersi incusant ac criminantur. Quæ quùm mihi aliquando sobriè, & qua decuit modestia, in cœtu, consessuq; virorum illustrium tractata sint, & visus sim ijs non absurda dicere: ea nunc in lucem proferēda putaui, & quòd talem in te conspexi virtutis ac generosæ mentis indolem, tuo nomini Philiberte clariss. consecranda. In quibus fortassè desiderabit delicatus lector plus eloquentiæ, atque vberiorē dicēdi copiam. Verùm quùm argumentum sit spinosum, perplexum, atque intricatum, verborum lenocinia, ac dictionis elegantiam non vsquequaque vel obseruare, vel affectare potui. In eo verò mihi potissimùm elaborandum duxi, vt fluctuantes hominum mentes, absur-

absurdisq́; opinionibus distractas fulciam, quò incommoda quæq́;, aduersitates, pericula, damna, orbitates ferãt moderatius, ac diuinæ Prouidentiæ quàm minimum derogent, aut in illam sint contumeliosi. Deus opt. max. tua omnia promoueat, atque ad fœlicissima quæque sit adiumento. Vale, Zirizeæ pridie Idus Martias.

Anno M. D. LIII.



Voniam libro de Astrologiæ vsu non ita pridem à me conscripto in fati mentionē incidi, operæprecium duxi nonnulla ab hoc instituto non aliena adijcere. Quum enim quosdam audiam tam absurda fati opinione imbutos, vt superuacaneum existiment morbis obsisti, vllaque vetent adhiberi ægrotis Medicorū præsidia, vlla expugnandis morbis remedia: hanc persuasionem his eximendam putaui, idque eò accuratius, quòd quum planè futili, nulliusq; momenti dilemmati innitantur, hoc tamen efficiunt, vt multi temerè, ac præter rationem mortem & quæuis pericula exhorrescant, multi ne tum quidē illa metuant, quum maximè formidanda existunt: In rebus periculosis securi, in tutis meticulosi ac trepidantes. Sic enim illi ratiocinantur: Si fatale sit, vt ægrotus

morbo aliquo correptus intereat, illiq́ necessariò mors impendeat, frustra admoueri pharmaca, aut tētari remedia: quum ab eo nunquā eluctari continget, quamlibet efficax aut præsentaneum remedium adhibeatur. Si verò non sit in fatis, vt occidat, etiam spontè nullisque adhibitis medicamentis conualescet: quantumuis acerbi morbi illum premant, atque vrgeant: Nulla igitur propulsandis morbis admittenda antidota, nulla fomenta, nulla medicorum solatia, quum irritus sit futurus medendi conatus, ac labor frustraneus. Quod ipsum idiomate etiam vernaculo passim inculcant non aniculæ tantùm, sed viri aliquot robusto quidem ac valido corpore, sed qui leuissimis morbis labascant, ac flebiliter medicorū opem implorent, adeovt morbis oppressi illos continenter sibi assistere exoptent, nec

latum quidem vnguem abesse patiantur. Insuper aliud paradoxon, nempè hoc ex his eliciunt: Quicquid cuique in hac vitæ statione, atque huius æui decursu eueniat, qua quis ætate, quo mortis genere opprimatur, igni, ferro, insidijs, veneficijs, talem huic præfixum vitæ terminum, talem destinatum exitum: sic vt is nulla ratione euitare potuerit, quin illo die, illo fati genere fuerit interiturus, sublata omni producendæ vitæ spe. Quibus sanè vt constiterit opinionis suæ ratio, ego tamen nulla temeritate pronunciandi, sed certis rationibus adductus sic statuo: Certa fixáque ac determinata esse cuique subsistendi spatia ab opifice hominis Deo, sed quæ nullus mortalium transcendere, aut proferre vlterius, multi ob varias ac paßim incidentes causas citra consistere poßint, atque ad destinatum finem,

finem, decretumq́ terminum non peruenire: alij quòd luxu vitæq́ intemperantia sibi mortem accelerẽt, alij quòd temerè casibus ac periculis sese obijciant, alij quòd vino affatim perfusi, ac probè vuidi in lacus obuios, ac voragines demergãtur: Nonnulli quòd ex viciati aëris aut morborũ contagio cõputrescant: Postremò, quòd magna pars inedia, labore, curis, ærumnis, vigilijs, mœrore contabescant. Quis enim in vita mortaliũ huiusmodi plurima interuenire non obseruat, quæ vitam succidant, ac velut stamen producendũ longius, abrumpant, vel denique nauem in medio cursu scopulis aut cautibus elisam dissoluant? Quis autem tam stupidus, aut mentis inops, qui se non eiusmodi periculis subducere tentet, atque eniti studeat, vt inoffensè Deo duce vitæ cursum perficiat? Quum enim Cice-

Offic.1. rone teste, omni generi animantiũ hoc
sit à natura tributum, vt se, vitam,
corpusq́ue tueatur, declinetq́ue ea quæ
illi nocitura videntur, atque omni cura
sibi, suæq́; incolumitati prospiciat: ne-
mo, opinor, tam est stolidus, aut ratio-
nis, sensusq́ue communis expers, vt
morbo aliquo correptus medicorum re-
media respuat, atque auersetur. Quis
ex scapha in mare aut flumen aliquod
delapsus, confestim, ne subsidat atque
in imum deuoluatur, manum non porri
gat, operaq́ue astantium periculo exi-
mi non exoptet? Quis item si crus fre-
gerit, si membrũ luxauerit, si vulnus
vlla corporis parte acceperit, factaq́ue
sit in carne continuitatis solutio, vt
vulneris labra conglutinentur & coa-
lescant, obligari recuset? Huc spectat
Matt.10. Luc.21. illa Euangelica cautio, quæ concedit
fuga declinare periculum, ac dare lo-
cum

cum insaniæ, hominumq́ furori oblata occasione cedere. hoc enim agit illa cõcionis series: ne quis malis occasionem nocendi præbeat, ne se temerè periculis obijciat, aut vltro, nullaq́ vrgente causa corpus discrimini exponat. Itaq huius loci autoritate se tueri possunt, qui natura meticulosi, grassante peste aut sæuientibus vndique morbis popularibus ac contagiosis, in loca tuta salubriaq́ue demigrant. Neq enim in huiusmodi rebus fuga aut malorum euitatio probro cuiquam dari debet, aut in culpã vocari, nisi legitima aut prægnans causa quenquam demoretur, suisq́ue rebus afflictis ac desperatis necessariò adesse cogat. in quo ordine consistit Ecclesiastes, Pastor, Medicus, Magistratus, Chirurgus, Obstetrix: à quibus Reip. salus, conseruatio, atque incolumitas depẽdet. Illorum enim est,

rebus turbatis, & concussis populi animis strenuè suas obire partes, ciuium commodis aduigilare, animis metum eximere, mentes in spem optimam erigere, malo ne serpat latius, summo conatu obsistere, obiter

Consulere in medium, & rebus succurrere fessis.

Porrò nisi ita esset natura comparatū, vt quisque captata quaqua occasione sese periculo subducat: frustra Christus pro tempore, & quia sic expediret
Luc.4. negotio Euangelico, cessisset furori Iu-
Ioan.8. dæorum, qui semel atque iterum saxis eiaculandis in illum erant armati:
Act.9. Frustra ac ridiculè Paulus sporta per
2.Cor.11. Damasci mœnia elapsus coniuratorum manus effugisset: Frustra Dauid palabundus Saulis atque aliorum insidias
2.Reg.13. declinasset, ac diuersis itinerum ambagibus insequentes elusisset: Frustra Magi oraculi instinctu diuersa via remigrassent

migrassent in patriã: Frustra Iosephus Matth.2.
suæ suorumq́ue incolumitati consultu-
rus, clanculum cum matre virgine pue-
rum in Ægyptum subduxisset: Fru-
stra Helias furentem, atque omnibus 3.Reg.18.
vatibus infestam Iesabelã deuitasset, & 19.
nec centum prophetas in subterraneis
specubus abdidisset, quos ad mortẽ fu-
ribunda mulier crudeliter venabatur.
Quùm igitur nobis sit natura insitum,
vt noxia & quæ in perniciem nostriq́;
interitum vergant, declinemus: conse-
quens est vt salutaria quoque & quæ
tuendæ valetudini, fouendoq́ue ac con-
seruando corpori sunt accommoda am-
plectamur. Eò enim & naturæ ductu
impellimur, & Dei instituto prouoca-
mur. Sic Sapiens Medicum acciri vult
ingruentibus morbis, eosq́ue medica- Eccle.38.
mentis concinniter confectis expugna-
ri. Sic Paulus Timotheo, quò fun- 1.Tim.5.
ctionem

ctionem suam expeditius obiret, moderatum vini usum præscripsit, interdicto aquæ potu ob stomachum cruditate affectum ac fluctuantem. Sic Tobias
Tob.11. auidè Raphaëlis consilium admisit in dispellenda cæcitate collyrio confecto ex felle piscis: Quod ipsum non tam ex miraculo, quàm ex artis ratione factũ credi par est: quum fel aliud alio efficacius oculorum caligines, suffusiones,
Diosc. lib. 2. ca. 287. glaucomata atque albugines discutiat, si dextrè adhibeatur. nam Agyrtas noui & circumforaneos Empyricos, qui non magnam laudem ex eius usu sunt promeriti. Huic quiddam simile, sed magis illustri admirandoq́ ac stupendo miraculo, in Ezechia Rege contigit: qui quum deploraret se immaturè, atque in dimidio dierum ex huius
Esa. 38. vitæ suauitate sublatum iri, mortem instanter est deprecatus, vitamq́ longius

gius proferri postulauit. Quod vbi effusis lachrymis atque intimis precibus à Deo esset consecutus, in quindecim annos non sine certa posteritatis spe illius vita est propagata, exhibito in eius rei fidem ac testificationem Solis retrogradi mirifico signo. Nec hoc contentus, adhiberi voluit Deus per eundem prophetã, à quo paulò antè mors Regi erat denunciata, medicamentorũ adminicula. Siquidem Esaias confecto cataplasmate ex ficubus, quæ attrahendi maturandiq; facultate præditæ sunt, apostema ad suppurationem perduxit, ac Regem sanitati restituit. Quo argumento euidenter demõstratur, tametsi certus sit cuique constitutus vitæ terminus, præscriptáque viuendi spatia: non tamen refugiẽda quibus vita proferri ac remotius produci poßit, nec ea respuenda quæ nobis adiumento sunt,

vt præfixum terminum aſſequamur. David quoque Rex eodem ductus ſpiritu, eadem qua Ezechias imbutus religione, nec ſemel nec frigidè orat vt finem exoptatũ conſequatur, nec intercipi vitam, vitæque terminos anticipari cõtingat. Quùm enim tot malis exagitatus, tot morbis & calamitatibus fractus, ſentiret corporis vires adeo attritas, ac labefactatas, vt ægrè ſubſiſteret, vitæq́ interitum pertimeſceret: Pſalm. 101. *Ne, inquit, reuoces me in dimidio dierum meorum, ſed patiaris me vitæ curſum perficere, nec ſinas præcidi dies meos morborum vel calamitatum magnitudine atque inimicorum crudelitate. Quùm aũt morbi nihilo ſint hoſtibus mitiores, imò aliquanto quàm illi ſæuiores magiſque infeſti: vt qui internis partibus penitus infixi propius vitæ noſtræ inſidientur: ob id a-*

crius

crius ac paulò maiore cura his obsistē-dum, quòd huiusmodi inimicis vt domesticis te subducere nequeas, alioque te proripere. Atqui, vt quod res est fatear: Omnium incommodorum ac calamitatum genera, quæ humanæ vitæ incidunt, minima sunt malorum pars, si ad morborum differentias conferas. Quamobrem omniū maximè his obluctandum, quòd sanitatem quæ auro est potior, & pro qua consequenda omniū facultatum iacturam nemo subire recuset, nobis eripiant, finemque extremum, quem omnes expetunt, intercipiant. Quem vt quisq; obtineat, ac fœliciter decurso vitæ spatio ad metam perueniat, Medicorum opera cumprimis est necessaria. Illi enim tuendæ valetudinis, morbique profligandi rationes præscribunt, quibus sanitatē consequimur, atque ad extremum termi-
num,

num, tanquam ad portum optatum aura placida prouehimur. Expreßit hoc ipſum graphicè diſertéque doctus quidam hoc epigrammate:

Præſcripſit vitæ finem natura creatrix
  Vnicuique ſato, quem ſuperare nequit.
Sed Medicum præſtans ars, naturæq; miniſtrum,
  Finem contingas qua ratione, docet.

Sanitas enim tametſi, vt quibuſdam placet, ſit in fatis, medico tamen ſecundum Deum acceptum refero, quòd huius opera, beneficium, munúſque fati ad homines perueniat. Medicus enim fati & naturæ miniſter eſt. Quum autem cuique à Deo conſtitutus ſit vitæ terminus, quem nemo tranſcendere, multi autem citra conſiſtere poßint: Medici qui temperantiam ac ſalubrem victus rationem præſcribunt, Theologi qui timorem, atq; erga Deum reuerentiam hominum mentibus ingerunt, hoc efficiunt, vt inculpata vtriuſque partis

partis ſanitate potiantur, atq; ad eum finem deueniant, cui ſunt deſtinati. Quot autem hominum myriades, qui ſuis cupiditatibus nullum, neque modum, neque finem ſtatuunt, properè ſeneſcunt, morteq́; præmatura extinguuntur? Vt enim ſi funalia, ſi cereos, aut ex quauis re alia confecta lucernarum elychnia vento atq; auræ flatibus exponas, citius defluere, & extingui videas: ita corpus humanum multis incommodis exagitatum, innumeris laboribus fractum, intempeſtiua vigilia, diurnis, nocturniſque ſympoſijs, adde immodica Venere eneruatū minus diu ſubſiſtere, minuſque viridi crudaq́; ſenecta eſſe conſpicies. Hinc tam multis in virenti ætate lippi & caligātes oculi, tam multis manus tremulæ, & palpitantes articuli, oculi concaui & ſubſidentes, genæ pendulæ, indecora caluities,

cies, corpus flaccidũ, intempestiua pro ea ætate canicies, graues halitus, dentes rubiginosi & exesi, mens stupida, memoria labilis, fluida, atque infirma. Sic vt plerique mirari desinant,

Vnde animi caligo, & tanta obliuio rerum,
Tot subitæ mortes, atque intestata senectus.

Hæc autem atq; his atrociora impendere impijs ac sceleratis hominibus, innumeris locis Scriptura testatur: qua hæc etiam stabilienda putaui, quò probatio argumento dubio efficacius fidẽ faciat. In multis enim sacra testimonia nobis suffragãtur. Sic Dauid: Viri, inquit, sanguinarij, quíque alijs dolum machinantur, aut perniciem moliuntur, non explebunt vitæ suæ dimidiũ. Hoc enim consequuntur pessimo vitæ instituto, hoc malefaciendi studio, & peccandi assuetudine, vt præter spem, præter naturæ ordinem, imparati ac

Psalm. 54.

nihil

nihil minus quàm tale quiddam cogitantes, mortem oppetant, dignumque factis exitum obtineant. Nam Deus illos ocyus vita defungi permittit, ne vel prolabantur in deterius, vel plus damni innoxijs inferant. Et quum in eodem argumento Iob versaretur: Fa- Cap.8.
cinorosus, inquit, antequam dies eius impleantur, peribit: & manus seu virtus eius arescet: lædetur quasi vinea 15.
florescens botrus eius, & olea proijciẽs florem suum. hoc est, ante diem & properata morte interiturus est, nec maturitatem æui consequetur: similitudine deducta ab arboribus, quibus quidem ineunte vere dehiscunt flosculi, ac spectatißimè prodeũt: sed qui vel vredine pereunt, vel ab Aquilone aut Borea decußi, fructu arborem frustrantur. Rursus, Hoc scio, quòd laus impio Cap.11.
rum breuis est, & vita eius ad instar
 puncti.

punĉti, Oculi enim impiorum deficiēt, & numerus mensium ipsorum dimidiabitur. Denuo cap. 22. Iniqui succisi sunt, & sublati ante tēpus suum. Obiter quum vir is in humanæ vitæ militia exercitatissimus toto opere hoc argumentum vrgeat, omnibusq́; tristem imparatumq́ue exitum, quamlibet diu vixerint, polliceatur: multis, solidisq́; argumentis conuincit non fore diuturnam illorum vitam, non opes stabiles, non firmam potentiam, qui à Deo desciscunt, aut illius monitis non obsequuntur: Sic omnia illis in deterius deuolui incipiunt,

Virg. I. Georg.

-Tum denique fatis
In peius ruere, & retro sublapsa referri,
Non aliter quàm qui aduerso vix flumine Lembū
Remigijs subigit: si brachia fortè remisit,
Atque illum in prono præceps rapit alueus amne.

Quæ quum omnibus publicæ fidei ac iustitiæ desertoribus propemodū euenire

nire soleant: Virgilius Didonem inducit Æneæ ob perfidiam, & proditum coniugium inexpectatum funestumque exitum imprecantem, scilicet

Vt bello audacis populi vexatus, & armis
Finibus extorris, complexu auulsus Iuli,
Auxilium imploret, videatque indigna suorum
Funera: nec quum se sub leges pacis iniquæ
Tradiderit, regno aut optata luce fruatur.
Sed cadat ante diem, mediaque inhumatus arena. Aen. 4.

Cæterùm quum Poëta nullius disciplinæ rudis, atque humanarum rerum peritißimus non ignoraret, quantũ sit discriminis inter hos qui exhausto effœtóque corpore extinguuntur, & qui vigente ac florida ætate violenter, fineque inexpectato intereunt, in Didone commonstrat, quàm ægrè ac laboriosè iuniores dissolui contingat, quàm grauatè, quantóque luctamine anima illis à corpore diuellatur. Quod ferè spectamus in his qui succulento ac vegeto cor-

pore, morbisque ex plenitudine contractis opprimuntur. Cuius rei spectaculũ diebus hisce nobis exhibuit Nicolaus Aretius Pharmacopola industrius, atque apud omnes ordines gratiosus: qui tam acerbè diebus plus minus quatuor cum morte est colluctatus, vt astantiũ plerique obstupescerent, atq; horrore toti concuterentur: Quum seniculi, qui naturæ iusta persoluunt, quique lenta morte contabescunt, sensim placideque extinguantur, & quodammodo obdormiscant. Quò spectat illud Ciceronis: Omnis conglutinatio recens ægrè, inueterata facilè diuellitur. Tale enim quiddam in his obseruare licet, quale in luculento igni sopiendo spectamus, quem vix affluentiori aqua restinxeris: quum idẽ, si deflagrare sinas, nullo strepitu, nullis crepitaculis consilescat ac sopiatur. Vt enim, Cicerone teste, po-

De senect.

ma

ma ex arboribus, si cruda sint, vi auelluntur, si matura & cocta, decidunt: Sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas. Quod his verbis expreßit Poëta eruditißimus eiusdem libri serie:

Tum Iuno omnipotens longum miserata laborem,
Difficilesq; obitus, Irim dimisit Olympo,
Quæ luctantem animã, nexosq; resolueret artus:
Nam quia nec fato, merita nec morte peribat,
Sed misera ante diem, subitoq; accensa furore.

Porrò vt ostenderet noudum adfuisse fatalem horam, sed anticipatam, atq; extortam, vitamq; longius proferri potuisse: sic Poëta rẽ ipsam prosequitur:

Nondum illi flauum Proserpina vertice crinem
Abstulerat, Stygioq; caput damnauerat Orco.

Non absimili fato intereunt, quos crapula, fœdáque ingluuie obrui, ac tantũ non iugulari contingit. Nam illo pugione tam multos celerius, quàm pro ætate, perire, summopere est deplorandum: eóque magis, quòd quum prospe-

ram valetudinem & corpus salubre, minusq́ senectuti onerosum tradi cupiant, illi vltro sibi morbos accersant, mortemq́ue immaturam cõsequantur. Quod ipsum Persius his verbis illis obijcit:

Sat. 2. Poscis opem neruis, corpusq́; fidele senectæ
Esto age: sed grandes patinæ, tucetaq́; crassa
Annuere his Superos vetuere, Iouemq́; morãtur.

Id quum Iuuenalis quoque obseruaret, huiusmodi hominibus celerem exitum his versibus denunciat,

Sat. 14. Nota Mathematicis genesis tua, sed graue tardas
Expectare colos: morieris stamine nondum
Abrupto.

Qui verò frugalitate ac victus temperantia vtuntur, inculpata sanitate, omnibusq́ue sensibus optimè constitutis ad extremum vitæ terminum deueniunt. Hoc enim quisque consequitur la dabili vitæ instituto, hoc salubri Medicorum consilio, hoc erga Deum

amore

amore & reuerentia, vt integra mente, sanoque corpore ad præfinitum terminum illum deduci contingat, nec morte inopinata confici. Testatum hoc nobis facit hac sententia Solomon: Timor Domini apponit dies, atque annos prorogat: anni autem impiorum breuiabũtur. Solet autem Deus opt. max. suos non solùm incolumes conseruare, atque à morbis immunes, sed etiam longæuitatis munere beare. Sic enim per Prophetam hoc illis pollicetur: Ipsi adero in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum, longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum. Ex quibus quisque facilè perspexerit à quo petenda salus, à quo poscenda sanitas, à quo longæua vita sit speranda: nempe à Deo ad quem omnia referri debent, cui nos, nostraq́ omnia debemus. Qui tametsi negligi

Prou. 10.

Psal. 90.

nolit alimenta quæ corpus alunt ac vegetant, nec medicaměta contemni quibus morbis obsistimus, ac vitam ab interitu vindicamus: ipse tamen in omnibus agnosci vult, sibíque tribui nominis huius honorem, tantæque munificentiæ laudem. Ipse enim suum cuique
Psal. 103. dimensum suppeditat: Ipse omnis generis animantibus vitam, spiritum, victúmque largitur: Ipse mortis vitæque
Sap. 16. imperium obtinet: Ipse deducit ad infe
1. Reg. 2. ros, & reducit:

Virg. 4. Aeneid. Dat somnos, adimitq́;, ac lumina morte resignat.

Quod quum agnosceret vates Regius: In manibus, inquit, tuis tempora mea.
Psalm. 30. hoc est, dies fatalis, seu longus seu breuis est futurus, tibi debetur, atque ex tuo arbitratu omnia mea decurrunt.
Cap. 14. Cui sic Iob consonat: Breuis dies hominis, numerus mensium eius penes te est: constituisti terminos eius, qui præteri-

ri nequeunt: Recede ergo paululum ab eo, donec optata veniat, & ſicut mercenarij dies eius. Quibus verbis Deo aſſerit poteſtatem proferendi, contrahendiq́ vitæ terminos, illosq́ ſerius finire afflagitat. Id ipſum Dauid in Odis ſuis ſubinde precatur quum alijs, tum iſtis verbis: Ecce loquutus ſum in Pſal. 38. *lingua mea, notum mihi fac finē meum, & numerum dierum meorū, vt ſciam quanto tempore viuam. ecce menſura pugilli terminaſti dies meos, & æuum meum tanquam nihilū coram te. Quum autem videas tam multos in ipſo vitæ apparatu vita deſtitui, tam multos infantia vixdum inchoata, atq; à carceribus paululùm modo progreſſos opprimi, tot denique mortis diſcrimina, tam diuerſos, atq; immaturæ etiam ætatis horrendos exitus, quorum omnium rationem inire, aut facti cauſam explica-*

re

Sap.1. Sentite de Domino in bonitate.

re nequeas: non est quod sinistram de Deo opinionem concipias, aut parum reuerenter de eo sentias: verùm omnia inscrutabili eius cōsilio attribuas, qui ad finem aliquem vtilem hominibus ea refert. His enim impios partim à sceleribus deterret, atque ad meliora prouocat, partim suos instruit, ac cautiores reddit, ne malorum consuetudine contaminentur. Quod nobis testatum facit historia Euangelica de Galilæis, quorum sanguinem prophanis sacrificijs polluerat Pilatus. Rursus de octodecim illis, qui ruina turris Siloë erant oppreßi: quorum omnium casum non est miseratus Seruator, nec impij iudicis inauditam crudelitatem execratus, sed suos erexit ad mentem meliorem, ac narrantibus atrociora est comminatus, ni resipiscerent. Sic Deus multa quæ eueniunt, ad nostra commoda, adq;

Luc.13.

vsus

vsus vitæ vtiles ac necessarios dirigit. Cæterùm in actionibus hominum, in euentuum, rerumq́ contingentium causis plurima ad voluntatem atque humanæ mentis impetum referũtur, quæ certis constitutisq́ue naturæ legibus libera vel in hanc, vel in illam partem sese applicat. Constituit enim Deus hominem in manu consilij sui, vt eius electio, atque arbitriũ liberum sit, liceatq́ homini suo arbitratu ac naturali insitoq́ue motu amplecti salutaria, & refugere noxia: tametsi ob deprauatum naturæ habitum, & quòd sensus & cogitatio ad malũ sit prona, peßima pro optimis amplectatur, ad quæ nos instigant incitantq́ partim mali Genij, qui mirè incommodis nostris inuigilant, excubantq́ue: partim mala mens malus animus prauißimis cupiditatibus imbuta: quorum consilio cùm voluntas

Eccle. 15.

Gene. 8.

oppressa ratione obsequitur, rapi plerunque homines contingit in præcipitia, atque in huius vitæ stadio ad metam non decurrere: Quod in ebrijs, in iratis, in libidinosis, multisq; alijs perspicimus. Qui si moderandis cohibendísque affectibus vllam curam adhiberent, vllam impenderent operã, non in tanta pericula pecudum more ruerent, nec tam inopinatum, tamque infœlicem exitum sortirentur. In omnibus tamen rerum euentibus Dei iudicium agnoscere par est, qui ob latentes, nec cuiuis expositas causas homines in mala quæ promerentur, deuenire permittit. Deus enim indulgentissimi patris affectum erga suos exprimit, quibus quum optimè consultũ cupiat, nihil non agit, omnia tentat, omnem mouet lapidem, vt salubri cõsilio à malis reuocet, vt blandimentis alliciat, atque ad optimã frugem

frugem perducat: qui quum ad parentis monita obſurdeſcant, eáque neglectim & contemptim audiant, ſinit illos pro animi libidine in exitiũ ruere, atque ab expectata hæreditate excidere. Quod Seruator gallinæ exemplo demonſtrat, quæ pullos qua maxima poteſt cura fouet ac tuetur. Et quoniam tam obuiam vltróque expoſitam tanti parentis benignitatem homines auerſantur, illos prorſus deſerit, atq; omnẽ pietatem, paternumq́; affectum exuit. Quod eleganti ſimilitudine per Hieremiam indicans, Viuo ego, inquit Dominus, quia ſi fuerit Iechonias filius Ioachim Regis Iuda, annulus in manu mea dextra, indè euellam illum. Vt enim, Ezechiele teſte, nihil officit vetus malitia correcto, quia ſuperueniens iuſtitia labem prioris vitæ abolet, inducta etiam ἀμνηστίᾳ, hoc eſt, ſuperiorum malorum

Matt.23. Rom.1. Cap.22. Cap.18.

rum obliuione: ita nihil prodest anteactæ vitæ probitas in deterius prolapso, quòd superueniens nequitia iustitiæ opera deleat. Ex istis conijcito in quæ flagitia, in quod scelus, in quam improbitatem ac dedecus deuergant, quis denique illos maneat exitus, qui à Deo sunt deserti, illiusque fauore destituti. Vt autem boni accipiunt incrementa pietatis, magnosque in virtute progressus faciunt: ita improbi altius demerguntur, ac sceleribus scelera accumulant. Quod nobis testatum facit Solomō: Impius quum in profundū peccatorum venit, contemnit: sed illum sequitur opprobrium & ignominia. Ita enim talium mens aßiduitate peccandi occalluit, vt non magnoperè moueantur scelerum magnitudine, eaque pro nihilo ducant quæ ab illis perpetrantur. Quò fit, vt maximis malis illos

Prou.18.

implicari

implicari contingat, atque inaudito mortis genere plerunq; interire. Quod omnibus pietatis desertoribus, & quotquot à virtute desciscunt, Deus euenturum denunciat, séque illis immissurum pollicetur calamitates, & vexationes acerbas, morbos contumaces & expugnatu difficiles: quorũ quum magna quotidie exhibeantur exempla, tum Moses tale quiddã impijs aßiduè impendere prædicat. Sic enim illis minitatur: Quòd si vocem Dei tui audire recuses, percutiet te egestate, frigore, febri, ardore, rubigine, scabie, & prurigine, ita vt curari nequeas: percutiet te fœdis hulceribus ea corporis parte qua oleta egeruntur, (vt sunt Medicis vocata condylomata, hæmorrhoides, mariscæ, ragades, seu podicis rimæ ac fissuræ, multaq; alia quæ nobis morbus Gallicus inuexit:) Percutiet te Deus Deu. 28.

furore, amētia, cæcitate, hulcere pessimo in genibus & suris, quales sunt varices, stomacace & scelotyrbe (populari voce scarrificatio ventris) quibus medetur Britannica, hiberis, lepidiū, sysimbrium, cardamice seu nasturtiū aquaticum, omnium autem efficacissimè ebeni seu ligni Indici ramenta in aqua cœlesti macerata, decoctáque. Et quoniam animi perturbationes, ac mētium morbi omniū sunt teterrimi, illos quoque non defuturos indicat: Dabit tibi Dominus Deus tuus cor pauidum & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore, eritq́ vita tua quasi pendens ante te, timebis die ac nocte, & non credes vitæ tuæ propter cordis tui formidinem, qua terreberis, & propter ea quæ oculis tuis videbis. Rursus Leuitici, 26. Visitabo vos velociter, inquit Dominus, in egestate, in frigore, in ardore

Scoirbuyck.

dore qui conficiat oculos vestros, & animas vestras consumat: fugietis nemine persequente: immittam in vos bestias agri quæ consumant vos, & pecora vestra: inducamque super vos gladium vltorem fœderis mei: & qui de vobis remanserint, dabo pauorem in cordibus eorum, terrebit eos sonitus folij volantis, & ita fugient quasi gladium. Cadent nullo persequēte, & corruent super fratres suos, & tabescent in iniquitatibus suis. Quod si impios ab improbis moribus, vitæque enormita- Ezech. 18.
te resilire contingat ac malefactorum pœnitere: Deus quoque μετάνοια ducitur, Ionæ, 2.
& sententiam antè conceptam retractat, eaque mala quibus homines erat Hiere. 18.
oppressurus, demutat in melius fixo semper atque immobili æterno illius consilio. Quum itaque omnia in illius potestate sint constituta, illaque pro suo

arbitrio ac voluntatis imperio regat ac moderetur, sic vt rerū vices variet,
Exod.15. astrorum cursus sistat, elementa in cōtrarias qualitates vertat, mortuos in vitam reuocet: non debent omnia tam inuincibili necessitati alligari, præsertim quòd Deus multa in nostra potestate sita esse voluit, vt amplecti salutaria, euitare noxia, eligere bona, ac
Deut.30. Mose teste, mala refugere. Quòd siquis ad ineuitabilem fatorum legem nostra omnia referri velit, non erit nobis arbitraria vlla virtutis actio, vlla victus ratio, vllum ad res magnas studium & applicatio, nec liberum erit vitæ cursum ex nostra voluntate instituere, appositis remedijs depellere morbos, dolores mitigare, somnum allicere, iter quum libet ingredi, denique ne legibus quidem sacratissimis obsequi nos, vt quas calumniari nonnulli possint, causarique

ſariq́ue iniquè conſtitutas, quum maleficia declinari nequeant, ſi fatis illos vrgeas: quibus ſi neceſſariò nos aſtringi contingeret, magna profectò fieret humanæ menti ac voluntati iniuria, quum fati vinculis alligata ac præpedita mens, nihil eorum quæ conceperit, exequi aut perficere poſſet. Cæterùm non agi cuncta neceſsitate, negotia, actionesq́ue noſtræ quotidianæ manifeſtò demōſtrant. In obeundis enim exercendisq́ue munijs publicis, in forenſibus, in priuatis, in domeſticis rebus ſubinde conſilia noſtra mutamus, vbi rei cauſa expetere, aut præſens negotium expoſcere videtur. Quod quum indicet quotidianus vitæ vſus, tum id Senariolis hiſce cōmonſtrat Comicus:

Nunquã quiſquam ita ſubducta ratione ad vitã fuit, Adel. act. 5
Quin res, ætas, vſus ſemper aliquid adportet noui, Scen. 4.
Aliquid moneat, vt illa quæ te ſcire credas, neſcias,
Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies.

Rursus eadem Comœdia, ex Platonis sententia:

Act.4. - Non placet factum, si queam
Sce.7. Mutare: nunc quum non queo, æquo animo fero.
Ita vita est hominum, quasi quum ludas tesseris:
Si illud quod est maxime opus, iactu non cadit,
Illud quod cecidit forte, arte vt corrigas.

Itaque ex nostra voluntate atque arbitrio multæ contingentium causæ, multáque euenta finiuntur, quæ quum modò affectuum temeritate, modò rationis iudicio regantur, vel in vsum atq; vtilitatem nostri, vel in perniciem deuergunt: Deus autem se nostris consilijs interserit, quum illi commodum videtur, qui subinde à malis reuocat, suoq; afflatu impellit ad optima, quum vitiatæ naturæ impetu ad peßima essemus prolapsuri. Adeo enim est deprauata natura mortalium, itáque ab integritate excidit, vt cogitet quidem amplecti optima, sed labitur ad deteriora.

riora. Quod quum Poëta Ethnicus in se quoque experiretur, ita indignabundè loquitur:

Odi & amo. quare id faciam, fortasse requiris: Catullus.
Nescio, sed fieri sentio, & excrucior.

Rursus alius:

Sed trahit inuitum noua vis, aliudq; Cupido, Ouid. li. 7.
Mens aliud suadet: video meliora, proboq;: Metam.
Deteriora sequor.

Diuus quoque Paulus in mente hominis talem nonnunquam tumultũ suboriri prædicat, vt quum aliter agendum mens ipsa suadeat, ac dictet ratio: ipse tamen contra recti honestiq; legem ad mala nititur, atque ad ea quæ tacitè improbat, cupiditatis illecebra, naturæque vitiatæ procliuitate labitur. Ceterùm quum homo varijs cogitationibus ducitur, ac modò in hanc, modò in illam partem Rom. 7.

Rapitur, ac duplici in diuersum scinditur hamo, Pers. Sa. 5.

Deus se nostris consilijs immiscet, atq;

in deteriora prolapſuros ad potiora re-
uocat. Quod quum Dauid agnoſceret,
atq; improborũ proſperitate, piorumq́;
aduerſitate offenſus propemodum va-
cillaret, minusq́ue ſyncerè de proui-
Pſal. 72. dentia Diuina ſentiret: Quàm bonus,
inquit, Dominus his qui recto ſunt cor-
de: mei verò pene moti ſunt pedes, pe-
ne effuſi ſunt greſſus mei. Quia zelaui
ſuper iniquos, pacem peccatorũ videns.
21. Sic Iob, Abacuc, Hieremias, quaſi ex
1. compoſito, collatisq́ue ſententijs, cum
12. Deo diſceptant, queruntur q́ue impios
per omnia fœlici vti ſucceſſu, rerumq́;
omnium frui affluentia: pios verò ino-
pia premi, & calamitatibus ſubijci, o-
mnibusq́ue eſſe ludibrio & ſubſanna-
tioni. Sed Dominus ſuos huiuſmodi co-
gitationibus diſtractos, iamq́; nutan-
tes atque in ruinam tantumnon incli-
natos fulcit, ac velut in gradum reſti-
tuit,

tuit, quum ostendit extrema prioribus non respondere, omniaque vice versa volui in contrarium. Patitur aũt Deus Psal.80.
dulci fortuna ebrios paululùm insolescere, eosque dimittit secundùm desideria cordis ipsorum, vt ambulent in cõsilijs suis, suisque obsequantur cupiditatibus, quæ illos tandem in exitium pertrahunt. Nam illorum virtus, robur, sanitas, strepitus, fastus, & potentia breui momento defluunt, & velut quisquiliæ aliaque venti ludibria, dicto citius dissipantur atque euanescunt. Qui quum non desinant peruersè agere, atq; in omnem luxum esse profusissimi, Deus illos deserit, ac sustinet incidere in omne genus vitiorum præcipites. Id Mosi & Paulo Indurare, Exod.9.
id Hieremiæ Seducere dicitur, quum Rom.9. Hiere.20.
scilicet obstinatos non statim ab errore reuocat. Quod ipsum Origenes vel

ad extremam indurationẽ, vel ad perfectiorem ſanitatem conducere exiſti-
Cap.63. mat. Sic queruntur apud Eſaiam, qui ad ſaniorem mentem poſtliminio deueniunt, quiq́ue Dei afflatum ſentiſcere incipiunt, quòd ab errore tardius ſint reuocati. Sic enim cum illo quodammodo expoſtulant: Quare errare nos feciſti Domine? indurasti cor noſtrum ne timeremus: conuertere propter ſeruos tuos. Quæ non ſunt intelligenda, quaſi Deus erroris, vlliusq́ mali cauſa exiſtat, quum ab illo vt omnis boni fonte nihil niſi optima promanent: Sed quum Deus iritatus ſcelerum continuatione manum à percutiendo ſuſpendit, hoc loquendi tropo ſeducere dicitur, atque errandi occaſionem præbere. Hinc Ia-
Cap.1. cobus non vult in Deum culpam reijci, quum inquit: Nequis quum tentatur, dicat ſe à Deo tentari. Deus enim neminem

minem tentat, imò vnusquisque tentatur, quum à propria concupiscentia inescatur. Deus autẽ condidit hominem Genes. 2. ad imaginem & similitudinem suam, illiq; mentem indidit ex archetypo diuinitatis suæ depromptam. Sed inuidia Diaboli mors peruasit in orbem terrarum. Sap. 2. Quo effectum est, vt homines à Deo auersi ad pessima quæque deflecti cœperint. Itaq; non Deus, non fata, non astra ad incendia, ad cædes, furta, rapinas incitant: sed sua cuiusque mens Diaboli facibus accensa.. Alioqui eo se colore tueri pergerent homines nequã & facinorosi, eoque vti perfugio, quo vile mancipium apud Laërtium, Cui In Zenone. quum ob furtum verbera essent admota, præter meritũ cædi se causabatur: in fatis enim esse, vt aliena furto subduceret: Cui alter, in fatis quoque esse, vt vapularet. Quòd si Deus esset malorum

Augustin. quæst. 115. Chrysost. Serm. 5. de Fato. lorum causa, si necessitate ad mala impellerentur homines, multi huc tanquã ad asylum confugerent, suæque nequitiæ patrocinia hinc sibi compararent. Atqui licet Deus nullius sit mali causa, hominibus tamen vt iustissimus iudex, & malefactorum vindex mala immittit, damnáque infert, quò resipi-
Iob. 34. scant, atque à malo coërceantur. Sic regnare facit hominem hypocritam pro-
Esa. 3. pter peccata populi, Sic dat pueros Principes populo, & effœminati domi-
Zach. 11. nantur eis, Sic suscitat Pastores in terra, qui derelicta non visitant, dispersa non colligunt, contrita non sanant, sed carnes pinguium comedunt, & vngulas eorum dissoluunt. Sic mittitur spiritus mendax in ore omnium prophe-
3. Reg. 22. tarum, vt seductus Rex Israëlis pugnã ineat, qua illi præsens exitium parabatur. multáque alia Deus agit castigan-

dis hominum vitijs, corrigendisq́ illorum moribus deprauatissimis. Hinc Diuus Paulus exertè pronunciat, ob Rom.1.
impietatem ac nefanda scelera puniri homines abominandis fœdisque libidinum generibus, quæ præter id quod peccata sint, tum etiam (vt Gregorius Moral.25
ait) peccati pœna existunt. Similiter ob corporis Dominici memoriam oscitanter frigideq́ue peractam, & quòd sacrosanctum sanguinis Christi poculum indignè sumerent Corinthij, po- 1.Cor.11.
pulares morbos, mortemq́ue immaturam immitti asserit. Nec tantùm malos, sed etiam innoxios Deus properè ex huius vitæ ergastulo subducit, atq; ocyus vinculis corporis exoluit, suumq́; inscrutabile iudicium in pios quoque exercet: quorum alios, vt exploret, malis onerat, alios ante diem transfert, ne malorum contagio affici, aut illorum

consuetu-

cõsuetudine inquinari cõtingat. Quod
Sap.4. his verbis Sapiens testatum facit: Placens Deo factus dilectus, viuens inter peccatores translatus est, raptus est, ne malitia intellectum eius immutaret, aut figmenta deciperet animum illius: placita enim erat Deo anima illius, ob id properauit educere illum de medio iniquitatum. Abbreuiat autem suorũ calamitates Dominus, ne afflictionum magnitudine, atque intoleranda persequutione succũbant. Quod ipsum Christi testimonio palam fit, quum inquit:
Matt.24. Et nisi decurtati essent dies illi, nõ subsisteret omnis caro: sed propter electos decurtabuntur. Ex quibus cuique intelligere datur, quid dici Fatum, ad quem series & ordo rerum referri debeat: insuper Deum velle optima, ad eaq; adiumento esse hominibus, tolerare autem & permittere pessima, quorum

rum tamẽ ipse nec autor est, nec impulsor. Tolerat enim, non impellit nocturnos suffossores, vt ædes nostras subruant, vt nostra pecora vel possessiones abducant, vt in vitam nostram, ac fortunas grassentur: sed horum se spectatorem præbet, atque ad ea conniuet. Quod parabola de zizanijs inter triticum seminatis liquidò demonstrat. Sic Matt.13.
Deus patitur sinistra, parumq́ auspicata matrimonia, negotiationes sordidas atque illiberales, vt alter alterum circumueniat, atque ijs conditionibus vrgeat, vt elabi nequeat. Sic patitur ebrios in præceps ruere, ac potu suffocari, impuberes incustoditos incuria matrum vel igni vel aquis absumi, tot naues in Oceano Gallico vi tempestatum absorberi, tot aggeres varijs ruinis cõuulsos dissilire ac dissipari. quanquam tamen aliquam rationẽ iræ, aut

vindictæ

vindictæ diuinæ huiusmodi calamitatibus aliquando subesse intelligã. Nec enim quisquam sibi persuadeat tot clades superiori anno Belgis inuectas, casu aut fortuito accidisse, tot feraces ac restibiles agros, tam culta & fœcunda noualia toties salsugine vitiata, tot villas prostratas, tot pecora suffocata, tot homines ab immanissimo elemento oppressos, tantas denique tamq́ue in immensum hominum opera congestas moles funditus dissipatas, flante post Austrum Coro & Circio, quibus ventis inualescentibus maxima aquarum colluuies in has oras incumbit: Sed hos turbines à Deo excitatos agnoscat, nec aliò quàm ad nostri emendationem, ad medelam, ad castigationem erratorum referat. Alioqui perit nobis castigationis fructus, Quum (vt Augustinus ait) non attendimus ad ea quæ sunt diuini

uini

uini consilij, sed in casum, fortunam, fatum, astra reijcimus, in quibus teme ritas euentus, non effectus operis desti- natus est. Quò fit, vt mala subinde in- geminent ac recrudescant, aliáque alijs accumulentur. Quum enim Deus per- sistere in errore homines videat, ac ne tantillùm quidem commoueri imma- nissimis calamitatibus, ipse quoq; nihi- lo factus placatior, nec vindicta satia- tus, grauiora se intentaturũ minatur, quod Esaias his verbis indicat: Quia Cap. 5. 9.
omnis hypocrita est, & nequam, & vniuersum os locutum est stultitiam, nec populus reuersus est ad pœnitẽtem percutient
se, vt Dominum requirat, ideo non est auersus furor Domini ab eis: sed adhuc manus eius extenta, vt grauius feriat. Quæ documento nobis esse debent, o- mnis generis calamitates, morbos, or- bitates, inundationes, bella, vastitates

diuinitus immitti hominibus. Quibus comprobandis abunde multa ſuppetũt exempla, quæ in ſuo quiſque genere eruere poteſt, atque in vſum vitæ trahere. Quod verò ad eluuiones atq; excurſus aquarum attinet, quibus Belgica quotannis ſtatim ab Arcturi & Virgiliarum occaſu mirè exagitatur, nonnulla proferam, quæ comprobant huiuſmodi calamitates à Deo inferri hominibus, iratiq; numinis vindictam erga homines teſtentur. Sic Dauid maximus diuinæ potentiæ admirator & encomiaſtes, inter alia maris imperiũ, quod nemo vnquam domuit, Deo aſſerit, eiusq́ue ſæuitia in caſtigandis hominum ſceleribus abuti illum, his verbis prædicat: Pſal.106. *Tu ponis terram fructiferam in ſalſuginem à malitia habitantium in illa.* 68. *Tu dominaris poteſtati maris, motum autem fluctuum eius*

tu compescis ac mitigas. Tu conturbas 84.
profundum maris, & sonant fluctus
eius. Rursus alius: Qui vocat aquas Amos. 5.
maris, & effundit eas super faciem totius terræ, Dominus est nomen eius.
Qui feruescere facit quasi ollam, pro- Iob. 14.
fundum maris. Qui dat Solem in lumine diei, ordinem Lunæ & Stellarum Hier. 31.
in lumine noctis: qui conturbat mare,
& resonant fluctus eius. Qui facit ven Iob. 28.
tis pondus, & aquas appendit in mensura, Qui ponit pluuijs legem, & viam procellis sonantibus. Hæc autem in nostri vsum verbosius à me sunt enarrata, quò huiusmodi calamitates fixius menti inhæreant, illarumque memoria nobis subinde refricetur. Itaque nolim istiusmodi euēta, casu aut fortuito facta videri, multò autem minus necessitati alligari: quū immutari potuerint, ac reconciliato Deo tolli, auerti, trans-

ferri, mitigari. Ideóque fas esse iudico malis obsistere, morbisque atq; omnibus calamitatibus obniti. Quò mihi sapienter facere videntur nostrates, quibus restaurandi soli præfectura mandata est, quòd nunquam remittant operam, nec rebus maximè desperatis, atque extremè constitutis committendū ducant, vt illis spes infringatur, aut languescat industria: sed decretis solenniter supplicationibus, alacriter se operi accingunt, atq; in erigendis, coæquandisq; aggeribus viriliter se mari opponunt, sartáque tecta perficiunt. Quò effectum est, vt nusquam gentiū tam industrios reperias non modò in resarciendis aggeribus, sed etiam ex imo mari nouis insulis extruendis, sic vt exteri quoq; in eruendis conficiendisque nouis portubus illorum opera solertiaq; vtantur. Quamobrem omnibus

Heijmraidt.

bus

bus persuasum esse cupio, atque id ex Chrysostomi sententia constare dubijs parùmq́ firmis mentibus nec fato subijci nos, nec ad actionem necessitate aliqua homines vrgeri, nisi omnia ista ad Dei voluntatem referas. Quandoquidem quæ fortuita sunt, & contingenter fieri dicuntur, præcaueri possunt, consilioq́ue ac sapientia hominum immutari. Homo siquidē efficere potest, vt fortuita quæque quàm minimùm in rebus mortaliū polleant. Quod testatur Salustius vir non tam vitæ probæ, quàm laudatæ facūdiæ, qui falsò queri ait de natura sua genus humanū, quòd ætas imbecilla, atque æui breuis, forte potius, quàm virtute regatur. Nam contrà reputando, neque maius aliud, neque præstabilius inuenies, magisq́ue naturæ industriam, quàm vim aut tēpus deesse. Siquidem dux atque impe-

Hom. in Paul. 1. Tim. 1.

rator vitæ mortalium animus, vbi ad gloriam virtutis via grassatur, abunde pollens, potensque, & clarus est, neque fortuna eget, quippe quæ probitatem, industriam, cæterasque bonas artes neque dare, neque eripere cuiquam potest. Quòd si homines rebus suis bene consulerent, atque ijs rationem, ingenium, curam, industriam adhiberent: non magis (vt ille ait) regerentur casibus, quàm regerent casus, eoque res illorum procederent, vt cum consilio ac prudentia rerum exitus diligenter excuterent, quàmminimum iuris casus, fortuna, temeritas obtineret. Quò spectat celebris illa Aristotelis sententia: Vbi plurimum valet prudentia, ibi fortunam minimùm valere. Sic qui iter ingrediuntur, & peregrinationes suscipiunt, diligenter expendunt, num expediat, aut consultum sit hybernis

mensibus

mensibus, cœlóque aspero & inclementi nauigationi se committere, aut per loca impedita atque obsessa latronibus iter facere. quin potius temporis commoditatem sibi expectandam statuũt, ne se suáque omnia in discrimen adducant, vt ex naucleris plerique temeritate quadam quotannis faciunt, qui non deterrentur hyemis rigore, & sæuitia tentare maria,

Nec pertimescunt præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
Nec tristes Hyadas, nec rabiem Noti. Horat. lib. Carmin. I. Ode. 3.

Quod si vis hominis consultandi, eligendique quæ sunt optima, inefficax sit atque inualida, quæque animo conceperit, exactè perficere nequeat: saltem Deo omnia esse facilia, plana, possibilia, aptáque ad perficiendum agnoscat, confidatque: qui non modò consilijs nostrisque actionibus adiuuandis, exequendis, immutandisque vim obtinet, sed

etiam quæ aliunde homini impendent, quæq; illi ad actionem sunt incitamento, ad vsum salutarem transfert. Est enim Deus vniuersalis & primaria causa: secundaria autem & particularis fatum, natura rerũ, astra, quorum omnium ordinem, cursum, effectum sistere potest, inuertere, mutare, mitigare. Sic aufert Aquilonem, & inducit in virtute sua Africum. Sic increpat mare, & deferuescunt, subsiduntq; fluctus eius. Sic Solem fixum esse voluit pugnante Iosue, ne progredi, voluique in occasum posset, nisi adepta victoria, atque hostibus ad vnum cæsis. Sic Ezechia Rege conualescente Sol non substitit modò, sed retrorsum actus, emensa paulò ante cœli spatia relegit, ac decem gradus prius confectos denuo repetijt. Quo miraculo nobis testatũ reliquit Esaias, fiducia in Deum, effusisq;

Psal. 77.
Luc. 8.
Cap. 10.

effusisque ardentibus precibus multa impetrare nos, multaq; à ceruicibus nostris depellere, quæ ex naturæ decursu, ac naturalium causarum progressu, vel denique ob scelerum vindictas nos essent inuasura. Quod ipsum in Mose perspici potest, qui clades & calamitates iamiam oppressuras Israëlitas a- Exod.32.
uertit, adeo vt Deo tantum non vim intulerit, illiusque manum cohibuerit, Num.20.
ac sit remoratus, vtne potuerit quidem in illos crudeliter desæuire. Tantam habent vim orationes piorum feruidæ. Plures huic nostro argumento illustrando rationes adferri possent, ac scripturæ testimonia, nisi quibusdam viderer in aliena versari harena, atque alieno choro, iuxta prouerbiũ inferre pedem. Itaque hæc illis aud grauatè cedo, qui fœlicius atque ex professo ista tractare possunt, nempe cõsummatißi-

haud

mis Theologis, inter quos mihi ſemper habitus eſt præcipuus D. Petrus Curtius, ſacræ Theologiæ Doctor, & magiſter eximius, qui mihi aliquando Louanij autor & inſtigator extitit, vt poſt politioris literaturæ nonnullam cognitionē, Medicinæ (ad quam, vt artem maximè plauſibilem, me videbat natura propenſiorem) ſacrarū literarum ſtudium adiungerem. Cuius conſilio eò magis ſum obſequutus, quòd duæ iſtæ artes ſeu diſciplinæ inter ſe affines & cognatæ mihi viderētur. Quum enim homo ex corpore & anima conſtet, & conflatus ſit partibus inter ſe diuerſis quidē, ſed ita conſenſu & communione naturæ connexis, vt altera alterius (modò commodè ſua munia, ac functiones obitura ſit) adminiculo indigeat: non viſus ſum ex tanti viri hortatu præter rationem agere, ſi vtranq;
mihi

nihi familiarem facerem, quò per alteram corpori ſanitas, per alterã menti cultus ac pietas parari, conſeruariq; poſſet. Qua de re nobis aliàs habebitur ſermo. Nunc verò hoc tantùm hoc ago, in eoq́ue noſtra conſumitur diſputatio, vt arti medicæ, qua nihil homini ſecũdùm Theologiam magis neceſſarium, ſuus cõſtet honos, ſua aſsignetur laus, ſua conſeruetur autoritas: atq; ijs obturetur os, qui quum omnia mera neceſsitate, atq; ineuitabili fato agi ſtatuant, tam ſalutaria Medicorum auxilia aſpernentur, fruſtraq́ue vlla amoliendis morbis adhiberi remedia contendant. Quum ego omnia potius tentanda cenſeam, quibus propulſari morbi, vitæq́ue incommoda declinari poſſint, quàm tam Barbaricam opinionẽ, tamq́ue pernitioſum dogma in mentem admittere. Itaque induſtrios naucleros

nos imitari par est, qui vbi se pericli-
tari vident, ac tempestatum vi extra
cursum rapi, confestim mentem sur-
sum erigunt, totique ab eo dependent,
penes quem maris imperium esse cre-
dunt, erectáque ante omnia mente in
Compas vulgò. Deum, oculisque in versoriam conti-
nenter defixis, anchoras expediunt
ocyus, sentinam exhauriunt, laxant
foros, vela ventis modò expandunt, mo
dò contrahunt, clauum nunc huc, nunc
illuc detorquent, proram fluctibus ob-
uertunt, demissa hinc inde bolide ma-
ris altitudinem explorant, aliáque eui-
tando effugiendoq́ue periculo, ac seruan-
dis tum se, tum mercibus haud segni-
Act.27. ter exequuntur. Quod ipsum in Pauli
naufragio perspici potest, quo immi-
nente, quum nautæ scapha expedita si-
bi essent prospecturi, Paulus illos reti-
neri curauit, quò illorum opera ac mi-
nisterio

nisterio tutiùs in littus nauem impingerent, minusq́ damni acciperent; non absimili studio atque industria nos vti decet morbis oppressos, nec despicere tam obuia, tamq́ue exprompta Medicorum solatia, tam præsentanea antidota, tantáque verborum lenocinia ac blandimenta, quibus ægrotos fulciunt, atque in spem optimam erigunt. Quemadmodum autem sanus quisque ex Dei munificentia corpus cibis fouet ac tuetur, ita decet ægrotos qui sapidißima quæque fastidiunt, nulla non expugnandis morbis admittere auxilia; nec tantũ in morbis qui tenaciter & fixiùs nobis inhærent, spe fouendus est animus: sed ne in cuiuscunque quidem generis periculis despondendus. Verùm semper mens erigenda spe aliqua, & fiducia depulsandi mali, cõfugiendumq́ post Deum ad illos, qui solatio esse

possunt,

possunt, & periculis nos eximere, aut saltem ea leuiora efficere. Ad quæ nobis exemplo sunt sacri vates, simul & magnanimi heroës Abrahamus, Moses, Dauidus, Ezechias, Iobus, Helias, postremò indefessus Christianæ fideï ac religionis assertor Paulus, qui aduersus morbos & quæuis pericula infractum, inuictumque animi robur præstiterunt, cōcepta certissima emergendi spe, omnique reiecta malorum diffidentia, ac desperatione. Eodem quoque ductore, sed illis incognito vsi sunt Ethnicorum plerique, pariq; propemodum virtute aduersus pericula mentes habebant obfirmatas: quod inter alios memorabili sententia Poëta indicat, qui Turnum inducit increpātem illorum ignauiam & socordiam, qui desperabant vllum fortunæ melioris regressum. Sic enim verbis castigatos

tos ſolatur, & firmat vt ſubſiſtant:

Multa dies, variusq; labor mutabilis æui Aen. 11.
Rettulit in melius: multos alterna reuiſens
Luſit, & in ſolido rurſus fortuna locauit.

Quamobrem ſtabiliter & inconcuſſè erudit homines Sapiens, Ne in die malorum ſint bonorum immemores, nec in die bonorum immemores ſint malorum. Quo quenque condocefacit, vt rebus ſecuris ac lætis ſemper metuat, ne derepentè atque inopinatò ſiniſtri aliquid alicunde ingruat: econtra, ne rebus afflictis atque extrema minantibus ſpem penitus abijciat, animoq; deijciatur. Siquidem ex agricolarum, nautarumq́ue præcepto, Sap. 10.

Et poſt naufragia tentanda maria:
Et poſt malam ſegetem ſerendum.

GVILIELMI

GVILIELMI LEMNII EPISTOLA AD LEVINVM LEMNIVM, VRBIS ZIRIZAEAE MEDICVM

præstantißimum, qua obiter indicat educationem in animis hominum plus efficere quàm aëris ambientis, aut loci qualitatem.



Vlpare quosdam audio, pater optime, nostrorum hominum ingenia, quòd ad literas & humaniores disciplinas minus appositi sint, sed (quod dici solet, ὄνος λύρας ἀκροατής) in hos competere, sic vt sambucam citius caloni aptaueris alto. Non desunt qui aëri inclementi atq; aspero id asscribant, cùm perspiciant omnes aquiloni oppositos atq; à Solis calore longè dißitos stupida sortiri ingenia, suóque simillima cœlo. Ego verò id non aëris intemperantiæ, sed vitio educationis potius imputo, quæ longè plus momenti adfert,

adfert, quàm vel ipsa natura quamlibet generosa, vel cœlum quamuis mite ac placidum. Innuit hoc prouerbialis Theophrasti sententia, Annus producit segetem non arua. Vt enim ipsa per se soli cœlique bonitas nihil prodest ad vberem frugum prouentum, si cultoris cesset industria: Ita naturæ aut ingenio humano nihil confert aut generis claritas, aut aëris ambientis clemētia, nisi accedat honesta educatio. Cuius rei cum traderet documentum Licurgus Lacedæmonijs, duos catulos generosis prognatos parentibus in concionem produxit, Alterum foco & pulmentis, alterum venationi & captandis feris assuetum, quorū hic in feram insilijt, ille in ollam pulmentariam ferebatur. Idipsum non modò in animantibus quæ cura hominum mansuescunt & cicurantur, verumetiam in arbu-

ſtis ac ſtirpibus ſpectare licet. Inter quæ nõnulla cultura meliorescunt, alia neglecta, vel emoriuntur vel in viliſsimas herbas degenerant. Sunt autem humana ingenia propemodum vti frutices ac virgulta, quæ ſi commodè & accuratè tractes, facilè (vt ait præſtantiſsimus Poëta)

Exuerint ſylueſtrem animum, cultuq; frequenti
In quaſcunq; voces artes haud tarda ſequentur.
Quippe ſolo natura ſubeſt.

Quid verò conferat honeſta inſtitutio, experimentum ex meipſo capio, Cui quòd ab ineunte ætate optimis diſciplinis, ac liberalibus artibus imbui contigerit, nihil contingere potuit aut melius, aut optabilius. Nam quòd ampliſsima dote me elocaſti, magnũ haud dubie amoris argumentum, magnáque tuæ munificentiæ habenda eſt gratia. Verùm quòd ab incunabulis eam adhibueris educationem, multò maioris momenti

menti res est, nec huic vlla parte conferenda. Itaque literis hisce velut hostimento grati animi indicia profero, quibus testatũ omnibus esse cupio, ne tantillùm quidem officere cuiquam cœli solíque intemperiem, aut aëris qualitatem, modò ne desit honesta institutio. Possum equidem complures cõmemorare magno & excellenti ingenio viros, quibus nihil ad consummatam eruditionem obfuit in abiectissimis terrarum angulis esse natos. Nam vt vetera memoriæ repetã, Quid Anacharsidem in extrema Scythia à sapientiæ studio, & rerum naturæ inuestigatione abduxit? qui cũ inter homines Barbaros atque incultos degeret, magnam tamen in philosophiæ studio laudẽ meruit. Quid Pherecydem, quid Democritum, compluresque alios commemorem? quorum prudentia monstrat:

Iuuena. Sat. 10. Summos posse viros, & magna exempla daturos
Veruecum in patria crassoq; sub aëre nasci.

Possem ex recentioribus longã seriem contexere eorum qui summis viris non sunt inferiores, nisi compertum habere quod ait Tacitus : Vitio malignitatis humanæ vetera in laude, præsentia in fastidio esse, Cui sic consonat Propersius:

Hij sunt inuidiæ nimirum regulæ mores
Præferat antiquis semper vt illa nouis.

Verùm nõ est, pater integerrimè, quòd ista te à scribendo deterreant, sed potius vincat amor patriæ, laudumq; immensa cupido, non illa inanis & euanida, quæ plausu populari finitur, sed cum vtilitate ciuiũ coniuncta est. Hac enim ratione effeceris, vt tua scripta habitura sint genium, si vtilitatis cõmendatione probentur. Cùm itaque omnes certatim in hoc incumbant, vt patriæ splendoris aliquid concilient, vt illam

scriptis

ſcriptis nobilitent, vt ſtudioſorum ingenia alant, ac foueant: Tu quoque enitere vnà cum D. Iaſone Pratenſi chariſsimæ coniugis meæ auo, quem plurimi facere ſoles, extremam hanc Belgicæ regionis oram, ab iniuria obliuionis aſſerere, tuosque ciues ac municipes, ad ſtudia literarum extimulare. Ægrè enim, & admodum grauatè tam multa abs te premi patiemur, ac tam diu ſtudioſam iuuentutem ac philiatrios tuis ſcriptis defraudari. Sic enim ad rem Medicã, cui olim me deſtinaras, accingar alacrius, noſtramque officinam omni pharmacorum, herbarumque genere reddam inſtructiſsimam, reſtaurata veterum, correctaque noua conficiendorum medicamentorum ratione. Iampridem enim & tuo, & clariſsimi viri Anthonij Morlonij hortatu, (quo nemo inter Ciſalpinos in hac re exerci-

tatior) Dioscoridem mihi familiarem reddidi, atque herbarum cognitionem ex ipsis fontibus petere didici: Ruellio tamen & Fuchsio viris clarissimis non omnino neglectis, vt qui in eruendis herbis non instrennuam operam nauarunt. Itaque futurum spero, vt hanc Spartam, quam non ita pridem nactus sum, pro sua dignitate sim exornaturus. Vale: ex officina nostra medicamentaria, Zirizeæ, Nonis Martijs.

Leuini Lemnii

MEDICI ZIRIZAEI LIBELLVS

DE HONESTO

ANIMI ET CORPORIS OBLE-
CTAMENTO, ET QVAE EXERCITATIO
homini libero potißimùm conueniat.

OBITER

De frugalitate, & victus temperantia, ac rerum Rusticarum amœnitate.

GVILIELMO LEMNIO IVNIORI. S. P.



VLLVM PATRIMOnium, aut hæreditas relinqui potest filijs maior, aut præstantior gloria virtutis. Hanc alij alijs rebus metiuntur. Ego verò studio & cognitione Sapientiæ, quæ diuinarum humanarumq́; rerum est scientia, constare illam & comparari assero. Opes enim, & quæcunque illas comitari solent, si desit Sapientia, oneri potius sunt, quàm vsui. At illa præterquam quòd nullo negotio, nulloq́ue vitæ discrimine opes sibi parat, si non adsint: tum, si præsto sint, tueri, atque vtilitati seruire docet. Quum itaque Parænesi te instruxerim in ipso tirocinio, atque ætatis lubrico, ipsáque præcepta Sapientiæ opibus potiora persuaserim: nunc

nunc quum eam ætatem, hoc iter ſis ingreſſus, in quo quamlibet graues, & cōſtantis animi viros vel æſtus rerum humanarum, vel malorum conuictus & contubernium aliquando tranſuerſos agit: commonſtrandum duxi, quibus modis vitæ curſum fœliciter inſtituas, illumq́ue virtute duce inoffenſè perficias. Quum enim ſint varia iuuenum ſtudia, cōcitati animorum motus, atque ad res adamatas impetus vehementes, vbi liberius eſt viuendi poteſtas, fit, vt alij alijs nullo bonorum malorumq; habito delectu inuoluātur erroribus. Siquidem, vt ait Perſius,

Hic ſatur irriguo mauult turgeſcere ſomno, Sat. 5.
Hic campo indulget, hunc alea decoquit, ille
In Venerem putris. Sed quum lapidoſa chiragra
Fregerit articulos veteris ramalia fagi,
Tum craſſos tranſiſſe dies, lucemq; paluſtrem,
Et ſibi iam ſeri vitam ingemuere relictam.

Quos equidem eò grauius culpandos

 cenſeo,

censeo, quòd neglectis, contemptisque optimis vitæ præceptis, sibi, suoq; officio desint, atque indecorè à virtute desciscant, quòdque propositis tot virtutis honestique præmijs, non desinant tamen viuere laxius, vagari licentius, tantisque morum corruptelis sese dedere. Hos vt effugias, ac Sapientia duce in re seria atque honesta conquiescas, his te oblectabis auocamentis, quæ in hoc commentariolo tibi ponuntur ob oculos, quibus consequeris eam mentis stabilitatem, & constantiam, vt nunquam ab honesto dimoueri, nunquam à sanis consilijs in deuios cursus atq; inextricabiles errores te abduci contingat. Vale. Calendis Septembris, Ziriczeæ, M. D. LII.


Vum in suo quenque ordine, vitæq́ instituto decorum seruare, atque ab eo quàm minimùm deflecti deceat: quis non miretur viros graues, qui corrigendis hominũ moribus vel diuinitus vel publico orbis consensu sunt designati, ea committere, quæ in alijs culpare soleant, & censura digna ducere? Vetus est & peruulgata sententia: Quod quisq; in alio castigare soleat, hoc ipse ne fecerit. Et, quod in familiaribus, aut filijs puniendum ducet, ne vnquã tale quiddam in se admiserit. Verùm hanc sententiam, quam omnes verbis astruunt, nemo vita ac moribus exprimere laborat, - Censor tantùm, castigatorq́ minorum. Sic omnes ad virtutis, ac probitatis studium adhortamur, quum nemo nostrum ad illa aspirare, atq; eniti studeat. Siquis filium nactus sit his elo- Horat. in art. poët.

gijs

giјs decoratum, vel, vt verius dicam, illis notis tanquam ſtigmate deformatum potius, Scortator improbus, Potor inuictus, Decoctor perditus, Aleator ſtrenuus: immane quantum ab ijs vocibus abhorreat, quum tamen noſtrum plerique aut paribus, aut maioribus vitijs madeant. Quotus enim quiſque inuenitur, quod & ſuo ſæculo

Tuſc. 2. queſtus eſt Cicero, qui ſit ita moratus, ita animo & vita conſtitutus, vt ratio poſtulat, qui diſciplinā ſuam non oſtētationem ſcientiæ, ſed legem vitæ putet, quíque obtemperet ipſe ſibi, vt decretis ſuis pareat? Videre licet alios tāta leuitate & iactatione, ijs vt fuerit ſubticuiſſe melius: alios pecuniæ cupidos, gloriæ nonnullos, multos libidinū ſeruos, vt cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio. Quo efficiunt, vt ætas tenera illorum monitis nihilo facta caſtigatior,

ſtigatior, incipiat tandem maiorum au toritatem deſpicere, negligere impe- rium, nulliſque illorum quamlibet ſa- nis conſilijs acquieſcere. Hinc Teren- tianus adoleſcens minus obſecundat pa tri, minuſque obiurgari ſuſtinet, quod illum ſimilia patraſſe vel viderit, vel audierit. Sic enim tacitè reſponſat, ob- loquiturque parenti. Heaut. Scena. I.

Quàm iniqui ſunt patres in omnes
adoleſcentes iudices!
Qui æquum eſſe cenſent, iam nos à
pueris ilico naſci ſenes,
Neque illarum affines eſſe rerum,
quas fert adoleſcentia.
Ex ſua libidine moderantur, quæ
nunc eſt, non quæ olim fuit.
-Is mihi, vbi adbibit plus paulò,
ſuaque narrat facinora?
Nunc ait: periculum ex alijs faci-
to, tibi quod ex vſu ſiet.

Astutus. næ ille haud scit, quàm mihi
nunc surdo narret fabulam.
Magis nunc me amicæ dicta stimu-
lant.

Ex quibus verbis facilè quiuis perspexerit, quàm nihil habeat ponderis, quàm nullius sit momenti maiorum obiurgatio, siquando iisdem vitiis illos obnoxios esse contingat. Scio equidem maximum esse humanitatis argumentum, in eóque syncerũ affectum, quem Roma. 1. *στοργὴν Paulus vocat, erga chara sua pignora exprimi, quod vulgò dicitur etiã ab iis, quorum vita posset esse inculpatior: Neminem tam improbis esse moribus, tam perditæ nequitiæ, & deploratæ probitatis, quin quos genuit, optimos, & quàm maximè frugi esse cupiat.* Luc. 11. *ad quod ipsum sic apud Lucam allusit Seruator: Vos quum estis mali, nostis bona facere, benéque precari filiis*

lijs vestris. Sed frustra hæc verbis decantamus, quum vitam nostrā ita contaminatam perspiciant, vt nequeant, etiam si enitantur, virtuti animum adijcere, nimirum magistrum nacti improbum, qui facile ægrotum ac nutantem animum in deteriorem partem applicat. Quamobrem sedulò cuique elaborandum est, vt ita vitam instituat, ita suos mores informet, ne illis, quos charos habet, tueriq́ue debet, minimam ansam det malitiæ, néue vllam ad nequitiam & dedecora fenestram aperiat. Multa paßim tolerari videmus, quæ inter indifferentia, Græcis ἀδιάφορα dicta, referuntur, ceu compotationes & symposia, multáque ludendi oblectamenta. Sed quia inter hæc irrepit nonnunquam quorundam malorum occasio, quæ teneris mentibus aliquam labem inferre posset,

nemo in filio libenter ea tolerat, quem honestißima quæque sectari cupit, atq; in omni vitæ actione quamminimum claudicare. quod si hæc in illo grauatè sis admissurus, adeo, vt si fefellerit, in illum sis asperior, acerbiorq́; futurus, atque incandescas atrocius: quantò magis enitendum, ne talis nota tibi inuri posset? Cicero in ea actione, quam contra Verrem instituit, inter alia maximè illi probro obijcit, quod filiũ suum ita educarit, vt nullũ vnquam sobrium aut pudicum conuiuium viderit, sed inter epulas triennium, inter intemperãtes viros, & impudicas mulieres sit versatus, vt si maximè voluisset, non potuisset vel prudentior euadere, vel melior. Quibus rebus non solùm filio, inquit, sed Reip. fecisti iniuriam. Susceperas enim liberos non solùm tibi, sed etiam patriæ. Eos instituere atque

erudire ad maiorum instituta, & ciuitatis disciplinam, non ad tuas turpitudines debuisses. haberet Resp. muneris aliquid abs te. Quamobrem scitè, appositéque mihi præcepisse videtur Iuuenalis:

Ne obscœnum dictu, visuq; hæc limina tangat, Sat. 14.
Intra quæ puer est. procul hinc procul inde puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis parasiti.
Maxima debetur puero reuerentia. si quid
Turpe paras, ne tu pueri contempseris annos.

Obseruauit hoc tam rigidè Cato Censorius, vt quendam è familiaribus domo exegerit, nec amplius in conspectũ, colloquiumq; admiserit, quod illi præsentibus liberis obscœna quædam, parumq; verecũda incautius excidissent. Sic Christus dira his comminatur, pœnasq; atroces impendere prædicat, qui ætati innocenti ac teneræ sint offendiculo, aut vllam mali occasionem præbeant. Sapiens quoque Hebræus gra-

Mat. 18.
Mar. 9.
Eccle. 7.

uiter & seuerè describit, quo vultu, qua oris modestia, quo sermone parentes erga iuniores vti deceat: adeoq; illorum facta, dictaque omnia ad decori conseruationem, ad honesti, rectique amussim exigit, vt illis ne admittat quidē coram pueris exhilarescere effusius, aut nugari liberius, licentiusque. Cùm enim ad exempla atque instituta maiorum sese componant adolescentes, illorumque ferè imitentur vel virtutes, vel vitia, quorum consuetudine & familiaritate vtuntur, plerunque euenit, vt in deteriorem partem sint magis proni.

Iuuenal. Sat.14.

– Nam citius illos
Corrumpūt vitiorum exempla domestica, magnis
Quum subeunt animos autoribus.
Sic plures fugienda patrum vestigia ducunt,
Et monstrata diu veteris trahit orbita culpæ.
Si damnosa senem iuuat alea, ludit & hæres
Bullatus, paruoq; eadem mouet arma fritillo:
Nec de se melius cuiquam sperare propinquo

Conce-

Concedet iuuenis.

Quamobrem studiosè nobis enitendũ, ne filij, ne domestici, ne ciues nostri aliquid in nobis vel conspiciant, vel audiant, quod illorũ moribus, vitæq́ integritati sit offecturum. Siquid laxamenti post res serias tibi imperare statuas, si auocamentis te reficere, honesta quærito, quæ postridie etiam iucũda sint, nec vitam ægritudine aliqua contaminent. Neque enim ita generati à natura sumus, vt ad ludum & iocum facti esse videamur, sed ad seueritatem potius, ad occupationes, & studia quædam grauiora. Ludo verò & ioco illis quidem vti licere ait Cicero, sed vt somno, & quietibus cæteris, quum grauibus, serijsq́ue rebus sumus defuncti. Et vt ipsum genus iocandi non profusum, non immodestum, sed ingenuum & facetũ esse decet: ita ipsa Lib. I. Offic.

 ludendi

ludendi licentia non debet ab honestatis actionibus esse aliena. Cùm igitur relaxare animos, & dare nos iocunditati volumus, cauendum nequod dedecus incurramus, aut ad ludendi genus declinemus, quod cum probro & infamia vel coniunctum, vel illis affine sit. Quis autem vir bonus, atque alicuius apud suos existimationis aut nominis, aleatoris nomenculatura compellari sustineat? qui quanto in arte melior, tanto nequior. Aut quis in illorum seriem referri velit,

Horat. lib. 1. Epist. 5. Quos damnosa Venus, quos præceps alea nudat!

Lucri autem vt incertus est euentus, ita instabilis & infida, minimeq́ diuturna possessio. Nam paruo momento minimoq́ temporis interuallo cum fœnore refundũt, nec vsquam magis quadrat illud Plauti, Malè partum malè dilabitur. Hinc nostrates Belgæ alea-

toris

toris fortunam maris æstui comparāt vltrò citroq́ irrequieto motu reciprocanti. Nec enim cessantcollusores, quin primo quoq́ tempore inter se committantur, illatam acceptamq́ue iacturam militariter sarturi: Quò fit, vt nullum vnquam ad opes emersisse videas, nec quenquam quamlibet multa prius corraserit, fœliciq́ successu vsus fuerit, vel pilo opibus auctiorem, quum innumeros ad extremam inopiam redactos, demersosq́ue quotidiana exempla testentur. Nam magnam lucri partem in spectatores & caupones profundunt, illisq́ue haud grauatè sua salaria decernunt, qui iritatos cohibent, qui lites dirimunt, quiq́ue tumultus, atque inconditos clamores consopiunt. Hîc enim non esse profusum minus generosum censent. Videmus autem sordidos quosque, abiectæq́ sortis homines illa

Dobbelars goedt, ebbe ende vloedt.

ludendi insania delectari, ipsosque ganeones ac lenones huiusce rei Choragos esse & agonothetas. Quæ vitia si in illis detestanda iudicamus, quantò magis in adolescente ingenuo, in optimæ spei ac generosæ indolis iuuene, in viro cordato & reuerendi apud suos nominis detestari conueniet? Siquidem, vt grauiter Iuuenalis,

Sat. 8. Omne animi vitium, tantò conspectius in se
Crimen habet, quantò maior, qui peccat, habetur.

Sic magnis rebus destinatus adolescēs, Sic sacrificus rebus diuinis addictus, Sic medicus saluti ac sanitati hominū intentus, Sic vir politicus, aliquantò grauius culpandus, quàm ex plebe quiuis, qui nullam existimationis suæ iacturam facere metuit. Nam quò quisq; magis quod se indignum est, committit: eò magis neglecti, desertique officij culpandus est. Omnino fortis animus,

inquit

inquit Cicero, cernitur in rerum infimarum despicientia, quum persuasum sit, nihil hominem nisi quod honestum decorumq́ sit, aut admirari, aut optare, aut etiam expetere oportere. Omittenda igitur inertissimorum hominum exercitamenta: qui quum non habeant honestas ex doctrina oblectationes: circulos & semicirculos sectari solere ait Cicero, hoc est, ea conuenticula venari, quibus vel ridiculis fabulis, vel inhonestis lusibus tempus transigunt. Tametsi autem tolerandi videntur nõnulli ludi legibus non prohibiti: cõsuetudo tamen adeo mala est, vt qui assueuerit, haud temere se extricare possit. Sic Plato, quum quendam alea ludentem increpasset, atque is indignaretur ob rem tantillam se repræhendi: Atqui, inquit ille, non exigua res est consuetudo. Habent enim hoc peculia-

Offic. 1.

De finibus 5.

re ipsa vitia, præsertim luxus, & auaritia, illaq; ludendi prurigo, ne dicam, rabies, vt ægrè excuti poßint, nisi toto pectore fueris obluctatus, nisi totus & integer illinc exieris, ac porrò te subduxeris. Nam si comperendinare cœperis, arctius te astringi continget,

Nec tu quum obstiteris semel, instantiq; negaris
Pers. Sat. 5 Parere imperio: Rupi iam vincula: dicas.
Nam luctata canis nodum arripit, & tamen illi,
Quum fugit, à collo trahitur pars longa catenæ.
Iuuenal. Sat. 14. – Sic ad mores natura recurrit
Damnatos, fixa ac mutari nescia.

Ita nisi concepto talium rerum pertinaci odio reditum tibi præcluseris, nisi obfirmato animo illis vitijs antequam inolescant, bellum indixeris, ac reconciliari abnueris, huiusmodi malis non immoraberis modò, sed immorieris. Quum enim procrastinare cœperis, ac prorogando rectè viuendi horam, diem de die ducere, nunquam destinatum finem consequeris, nunquam emendationis

ris vitæ propositum perficies.

–Nam quum lux altera venit, Pers.Sat.5
Iam cras hesternū consumpseris: ecce aliud cras,
Egerit hos annos, & semper paulùm erit vltra,
Nam quamuis prope te, quamuis temone sub vno
Vertentem sese frustra sectabere canthum:
Quum rota posterior curras, & in axe secundo.

Sic senes capulares ex diutina consuetudine, & quòd ijs à puero insueuerint, iuuenantur & lasciuiunt. Sic silicernia cæcutientibus ac lippis oculis lusitant admotis specillis ocularijs, nonnūquam à circumstantibus seuo illitis.

–Sic nonnulli, quum iusta chiragra Horat.lib.
Contudit articulos, qui pro se tolleret, atque Serm.2.
Mitteret in pyrgum talos mercede diurna Sat.7.
Conductum pascunt.

Quanquam tamen hic nōnullis magis, quàm in re seria sensus vigeant. Sciscitati enim sunt à me sacrificuli quidam, quî fieret, vt saliente alea admodum oculati essent, nec opus haberent conspicillis vitreis, quum in absoluendo penso diurno, aut sacris statisque pre-

cibus demurmurandis ita ijs caligarẽt oculi, vt vix literas vnciales legerent: quibus hoc euenire respondi, quòd mẽte admodum intenta, nec aliud agente, nec aliò auersis spiritibus actiones illas obirẽt, adeo vt omnes animales facultates eò essent defixæ. Quò fit, vt lucriones mirè gestiant, ac lætitia effusiore, quam περιχαρίαν *Græci vocant, toti subsiliant: ediuerso vt hos qui pecuniæ iacturam faciunt, aut quos damnosa canicula raserit, perturbent furiales somni, & inquies nocturna, insomniaq; tumultuosa ac turbulenta exagitent, ob humorum ac spirituum intimam agitationem, qua cerebrum, mẽtis sedes & domiciliũ, concutitur. Quamobrem inculcanda isthæc subinde iuuenibus:*

Den rommel slaep.

Etenim nosse omnia hæc salus est adolescentulis.
Quò lusorũ ingenia & mores possent cognoscere
Maturè, vt quum cognorint, perpetuò oderint.

Terent. Eunuch.

Hæc enim vitia, nisi primis annis eximantur,

mantur, ita ijs occallescit animus, vt non facilè meliori spei aut emendationi sit locus. Sed iam, nulláne sim admissurus ludendi oblectamenta, nullas à rebus serijs vacationes, forsitan requiras: ego verò non sum rerum humanarum tam insolens aut imperitus, vt nesciam corpus mentemq́ hominis continuo labore fatigari, atque ægrè subsistere, nisi subinde respiret, ac refocilletur. Vt enim oculi obtutu continuo fatigantur, præsertim vbi fixè & inconiuenter aliquid inspiciunt: ita mens hominis elanguescit, eiusq́ vigor flaccescit & hebetatur, nisi aliqua vicissitudine & rerũ varietate fulciatur. Siquando igitur munijs publicis, rebusq́ serijs defungi te contigerit, aut negotiorum studiorumq́ue statione ad tempus deserere: exercitationes excogitãdæ sunt, quæ corpori veternum, animo

AGRI-CVL-TVRA. languorem excutiant. Cum autem multa ſint quæ hæc præſtare poſſunt, tum nihil cumulatius & vberius, quàm agriculturæ vel ſtudium, vel occupatio, quæ tanta oblectamenta, tam varias voluptates ſuppeditat, vt nunquã tibi oboriri tædium, nulla te capere ſatietas poſſet.

Horat. lib. Epo. 2. Ode.

Nanque aut adulta vitium propagine
  Altas maritas populos,
Aut in reducta valle mugientium
  Proſpectas errantes greges,
Inutilesque falce ramos amputans,
  Fœliciores inſeris,
Aut preſſa puris mella cõdis amphoris,
  Aut tondes infirmas oues,
Vel, quum decorũ mitibus pomis caput
  Autumnus aruis extulit,
Vt grandes inſitiua decerpens pyra,
  Certantem & vuam purpuræ?
Libet iacere modò ſub antiqua ilice,

Modò

Modò in tenaci gramine,
Labuntur altis interim ripis aquæ,
Queruntur in syluis aues,
Fõtesq; lymphis obstrepũt manãtibus,
Somnos quòd inuitet leues,
Aut quũ tonãtis annus hybernus Iouis
Imbres niuesq́ue comparat,
Aut trudis acres hinc & hinc multa cane
Apros in obstantes plagas,
Aut amite leui rara tendis retia
Turdis edacibus dolos,
Pauidum leporem, atque aduenam laqueo gruem
Iucunda captas præmia.

Audi quæso ad quod otium à lucubrãdi molestia Diuus Hieronymus te inuitet: Aut fiscellam, inquit, texe iunco, aut calatum lẽtis plecte viminibus, inuertenda, serendaq́ue humus, areolæ æquo limite diuidendæ, vt quũ olerum

sparsa

ſparſa fuerint ſemina, aut plantæ in ordinem diſpoſitæ, clepſydris, ſiphunculis, vel epiſtomijs aquæ ducantur irriguæ, quò pulcherrimorum verſuum ſpectator aßiſtas.

Virgil. 1. Georg.

Et quũ exuſtus ager morientibus æſtuat herbis,
Ecce ſupercilio cliuoſi tramitis vndam
Elicit: illa cadens raucum per leuia murmur
Saxa ciet, ſcatebrisq; arentia temperat arua.

Sicubi igitur nactus ſis prædium ſuburbanum, aut fundum non procul ab vrbis pomerijs, ibi terram ſubigito, agrum repaſtinato, arbores ablaqueato, ſtolones amputato, glebas effringito, demum aliquam operã in his exercendis, inſtigandisque impendito, quibus ea operis pars demãdata eſt. Quòd ſi hortorum cultus te magis afficit, primùm terram ſubactam, areis quaquaverſum diſtinguito, quò prominentibus ac reſupinis puluinorũ toris, omni ex parte ambiri poßit, & herbæ no-

xiæ minori negotio extirpari: ſic enim cultori commodior vndique datur acceſſus, & aquis per decliue labentibus facilior decurſus. Porrò ſi laborem hunc ruſticandi vt permoleſtum ſubire recuſes, quòd incuruo dorſo, pronoq́ capite, & diuaricatis cruribus peragatur, ſaltē (quo nihil excogitauit agricultura ſolertius) inoculare ne pigeat, ſtellatim decuſſare ordines,

Inſerere, & plantas ſcrobibus mandare ſubactis:

hoc eſt, vt Maro præcipit,

– Aliena ex arbore germen
Includas, vdoq́; docens inoleſcere libro.
Sic ſæpe alterius ramos impune videbis
Vertere in alterius, mutatamq́; inſita mala
Ferre pyrū, & prunis lapidoſa rubeſcere corna.

Nonnunquam in ordinem certáque interualla rediges arbores fructiferas. Quid enim illo quincunce ſpecioſius? qui, in quamcunque partem ſpectes, rectus eſt, ac protenus in id quoque pro-
deſt

Lib.8. cap.3. dest teste Fabio, vt terræ succũ æqualiter trahat, Quod ipsum lepidissimis hisce versibus præcipit Virgilius:

2. Georg.
Omnia sint paribus numeris dimensa viarum
Arboribus positis, secto vt via limite quadret,
Non animum modò vti pascat prospectus inanẽ
Sed quia non aliter vires dabit omnibus æquas
Terra, nec in vacuũ poterunt se extendere rami.

Iam verò ipsa vite quid potest esse tum fructu lætius, tum aspectu pulchrius? cuius quidem non solùm vtilitas, sed etiam cultura delectat. Malleoli, plantæ, sarmenta, propagatio, iugatio, capreolorum amplexus nonne efficiunt, De Senect. inquit Cicero, vt quemuis admirationi afficiant? hæc autem quoniam natura caduca est, & nisi fulta in terram procumbat, non minimam cultoris poscit industriam. itaq; ineunte vere putanda, ac coërcenda ferro, ne plus iusto syluescat, & in omnem partem nimia fundatur. deinde fulcienda pedamentis ac

scandulis

ſcandulis cancellatim intercurrenti-bus: viticulis vincienda, quò melius cla uiculis ſe erigat, quibus obuia quæque tanquam manibus complectitur. Ex huius etiam propagine licebit topia-ria, ſcenasq́ue vmbroſas erigere, ſub quibus captare opacum frigus, & pro-pulſare æstum percommodè poteris. Sub hac quoq; fornice viridi, ac pam-pinis concamerata teſtudine, in longum porrigenda area, vel in ſphæriſterij, vel deambulandi vſum: deinde ex viuo ceſpite vtrinq; conficienda ſedilia, quò in herbido ac viridanti toro reſpirare liceat, ac laſsitudinem diſcutere. Inte-rim obambulandi hortorum labyrin-thi, ſpectanda legendaq́ue oculis innu-mera ſtirpium ac plantarum genera ſuis quæque dimenſa locis, ſuis deſcri-pta ordinibus:

Hîc olus, hîc laté fundentes brachia betæ,

Fœcundusq; rumex, maluæ, violæq; virentes,
Hic cicer, & capiti nomen debentia porra,
Hic etiam nocuum cerebro, gelidumq; papauer,
Grataq; nobilium requies lactuca virorum,
Et grauis in latum dimissa cucurbita ventrem.

Quibus accedunt infinitæ herbarum species & differentiæ, quæ non tantùm colorum varietate, florumque suauitate & fragrantia, sed etiam salubri alimentorum & medicinæ vsu nos re-
3.Reg.4. Sap.7. ficiunt. Nec profectò fuit aliud summorum regum studium atque exercitatio (in qua Solomon etiam excultus, exacteq; versatus legitur) quàm perreptare valles & nemora, atque indefesso labore herbas sectari, adeò vt magnificentius, magisque regium du-
Virgil.11. ceret, Scire potestates herbarū, vsumq; medendi, quàm vel opibus augere potentiam, vel armis propagare imperiū, vel talis aut latrunculo tempus fallere. Atqui hæc aëre tranquillo ac placido

agere licet, dum vernis, æstiuisque mensibus omnia nitescunt, quorũ omnium voluptates autumnus ipse perficit, qui non fugaces, & mox perituras cum coloribus herbas, non euanida flosculorũ blandimenta, sed graues fructu vites, & turgida stirpium semina, fœtusque arborum prægnantes, atque in venturam hyemem alimenta suppeditat. Cœlo verò inclementi atque aspero, tempestiuum erit cum lepido congerrone & studiorum sodale, vel lectionis varietate quæ nunquam patitur oboriri tædium, vel festiuis fabulis hybernos mẽses & brumale solstitium transigere, nonnunquam spectare tabulas Geographicas, atque intra Musæi limites ac domus latebras, emetiri longa terrarum spatia, nulloque vitæ discrimine, aut facultatum iactura incurua littora, tractusque Oceani immensos per-

agrare. In hac autem anni parte nulla exercitatio studiosis, virisque politicis aptior, quàm quæ viua voce, intentaq; lectione peragitur. nam illam vt corpori salubrem, & concoctioni accommodam, summis viris placuisse video. Sic Socratem dicere solitum accepimus, palæstritis & pancratiastis spatioso cãpo, amplisque ædibus opus esse, vt se exerceant: sibi verò quamuis domunculam ad exercendum sufficere. Quid autem commodi hæc exercitatio viris literatis præstet, quam denique vim & vigorẽ internis corporis partibus conferat, præter C. Celsum & Galenum, Plutarchus de tuenda valetudine abunde demonstrat. Huic si Musicam adiecerim, tum illam quæ vocis modulatione, tum quæ instrumentis perficitur, nihil ab instituto alienum fecero. Siquidem maximis ingenijs illam, & probatam

Lib.1. cap.2. Gal.lib.5. de tuend. valetu.

MVSICA.

probatam & excultam inuenio. Sic Socratem & Pythagorã præcipuos Philosophos summoperè hac fuisse delectatos, tradiderunt veteres. Sic Alexander & Epaminondas Principes Græciæ, fidibus præclarè cecinisse dicũtur: totáque Græcia, Cicerone teste, summam eruditionẽ sitam censebat in numerorum, vocumque cantibus, discebantq́; id omnes, nec qui nesciebat, satis excultus doctrina putabatur, Cuius quum imperitus esset Themistocles, & lyram in conuiuio recusasset, habitus est indoctior. Galenus autem acerbè illos insectatur qui neglectis contẽptisq́; huiusmodi oblectamentis, compotationibus continenter insistunt: Cùm enim vino affatim sunt impleti, non lyram, inquit, aut citharam, aliúdue instrumentum Musicum circumferri patiuntur: quod vt olim in eiusmodi congressu

Tusc. 1.

Therap. 1.

tetigisse honestum, ita non cõtrectasse admodum erat turpe: Sed nec sermonibus vtuntur, quales in symposijs agitari solere prodiderunt veteres, nec vllum honestum oblectamentum conuiuijs inferri sustinent: imò inuicem sibi propinant, & de capacitate poculorum certant, adeò vt inter illos optimus censeatur, non qui concinniter instrumentis Musicis, aut sermone Philosophico vti norit, sed qui multos eosq; maximos calices exiccauit. Quod vitiũ ita etiam apud nos incruduit, vt non homines inertes, aut amusos tantùm occuparit, sed summos ætatis nostræ Musicos totos inuoluerit, qui comessationibus atq; ebrietati nullum nec modum, nec mensuram, nec finem statuũt. Qua de re nuper mihi habitus est sermo apud præstantissimum, eundemq́ue generosissimum virum D. Cornelium

ab Opynen: Quo tempore illustrissimus Princeps Maximilianus à Burgundia, Dominus de Beueris, Zirizeæ summo ciuium desiderio expectaretur, Consulum nostrorum decreto, & communi Senatusconsulto officiosè accitus, vt cum illo tanquā Præfecto Oceani, de apparatu bellico, de munienda ciuitate, erigendisque propugnaculis consultarent. Quò illustrissimus heros captata prima quaque occasione atque opportunitate erat venturus, nisi vxor illi vnicè chara Ludouica à Croy summæ nobilitatis heroina, syncopi atque animi deliquio periclitata profectionem impedisset. Quæ vbi esset refocillata, ego omnia illi salua precatus (nam eò me antelucanò acciri contigit) cœpi argumentum paulisper intermissum vlteriùs prosequi: idque eò feci libentius, quòd charissimus ille vir erga

Ammiraldus, archithalassus.

hanc artem incredibiliter esset affe-ctus, illíque impensè deditus. Itaque laudabam summoperè tum artem tum viri huius erga ipsam, eiúsque artifices & studium & propensionem: Omnesq́ ad hanc sedulò sum exhortatus, cùm ob multas causas, tum maximè quòd hæc esset Medicis non modò vtilis, sed etiam necessaria: vt qui nulla re melius explorare poßint respirationis ac pul-

Diastole

Systole.

sus differentias, nulla melius dimetiri cordis atque arteriarum motus, quàm ex artis Musicæ ratione. Porrò hoc vnum arti tam liberali indignum mihi videri sum testatus, quòd huius secta-tores & symmystæ tam immodestè & dissolutè, tamq́ue intemperanter vitam transigerent. Quò efficiunt, vt non sibi tantùm, sed etiam honestißimæ arti sint dedecori ac dehonestamento, mul-torumq́ue animos ab hac reddant auer

sos

ſos, atq; alienos. Cui enim placere probarique illorum ſtudium poßit, aut talium honeſta videri occupatio, quorum vita palàm conſpicitur improba, mores vndique contaminati, ingluuies immenſa? Quid autem abſurdius, quàm in cantu modos & numeros, vocisque modulamina exactè obſeruare, digitis denique auribusque concentum atque harmoniam metiri, ne qua diſſonantia aures feriat offendatque: & in tota actione vitæ officium negligere, nullaq; vti rectè viuendi ratione, nullo moderamine, nulla menſura? Nec verò grauatè conuiuia & moderata ſympoſia ſum admiſſurus, modò ne ſint tumultuoſa aut turbulenta, atque intra mediocritatem conſiſtant. Quum autem multa ſint ex quibus conuiuium conſtare ſoleat, tum demùm omnibus ſuis numeris id abſolui ex Varronis ſenten-

Lib.13. cap.11. tia refert Gellius, si lepidi & festiui confabulones collecti sint, si aptus locus, & tali sodalitio accommodus, si tempus lectum, si apparatus non neglectus. Mihi verò in cõuiuio potissimùm spectanda obseruandaq; videtur frugalitas, & victus temperantia, quæ quum in plerisque alijs, tum vel maximè in Belgis Aquiloni oppositis desiderantur. Quibus quũ ea sit ingenij dexteritas, ea mentis alacritas, agilitasq;, vt ad quiduis appositi esse possint, immoderato tamen cibi potusque vsu & consuetudine efficiunt, vt eorum plerique vel obstupescant, vel ex repugnantium facultatum alimentis cruditatem sibi accersant omnium morborum seminarium. Homini autem, teste Plinio, cibus vtilissimus simplex, aceruatio saporũ pestifera, & condimenta perniciosiora. Siquidẽ, vt est apud Gellium

Fruga- litas.

Lib.12.ca. 53.Natur. Histo.

lium, πέμμασιν & πέψει societas infida. Cu- Lib.13. cap.11.
ius extat apud Horatium salubre hoc documentum:

Accipe nunc, victus tenuis quæ quantaq; secum Lib.Ser. 2.Sat.2.
Adferat: imprimis valeas bene. nam variæ res
Vt noceant homini, credas, memor illius escæ
Quæ simplex olim tibi sederit. at simul aßis
Miscueris elixa, simul conchilia turdis:
Dulcia se in bilem vertent, stomachoq; tumultũ
Lenta feret pituita. vides, vt pallidus omnis
Cœna desurgat dubia. Quin corpus onustum
Externis vitijs animum quoque prægrauat vnà,
Atque affigit humo diuinæ particulam auræ.

Huc spectat salubris illa Sapientis Hebræi admonitio: Noli auidus esse in omni epulatione, nec te effundas super omnem escam: in multis enim condimẽtis erit infirmitas, & auiditas excitabit choleram. propter crapulam multi subitò extincti sunt. Qui autem abstemius est, proferet vitam. Christus quoque optimus temperantiæ & consultor & exactor: Videte, inquit, nequando grauentur corda vestra crapula & ebrietate, Eccle. 37. Luc.21.

brietate, & curis vitæ huius. ne scilicet corporis intemperantia animū quoque per sympathiam ac consensum afficiat. Tantum igitur cibi & potus sumendum, vt corporis vires alantur, nō opprimātur. Nihil enim ad tuendā sanitatem, profligandosque morbos efficacius, quàm moderatè vesci, & fame sitiq; condire omnia. Nam quum iuxta Celsum sæpè sit inutilis nimia abstinētia, tum nunquam vtilis nimia satietas. Quod aliquando in se, suisque militibus expertus Cyrus Persarum Rex immodicos profusosque ciborum apparatus, & fastidiosas cupedias, quæ voluptatis fines longius proferunt, atque vtilitatem vitiant, sustulisse legitur, suosque ad laborem & moderatam victus rationem assuefecisse. Ad cuius mores atque institutum vtinam componerent se nostrûm plerique, quos libido

Cic. de Se.

Li. 1. ca. 2.

Xenoph. in pædia Cyri.

bido docuit non ſamem, non ſitim, non frigus, non laſsitudinem operiri, ſed ea omnia, vt ait Saluſtius, luxu antecapere, dormire priuſquam ſomni cupido ſit, veſcendi cauſa terra mariq́ omnia exquirere, quum tamen obuium, paratumq́ue ſit quo naturæ neceſsitati mederi liceat. Qua de re extant apud Euripidē perquàm lepidi verſus, quibus luxum, gulæq́ue irritamenta deteſtatus, frugalitatem nobis approbat

Salust. Catil.

Gel. lib. 7. cap. 16.

Επεὶ τί δεῖ βροτοῖσι πλὴν δυεῖν μόνον;
Δημήτρος ἀκτῆς, πώματος θ' ὑδρηχόου:
Ατινα πάρεστι, καὶ πέφυχ' ἡμᾶς τρέφειν,
Ων οὐκ ἀπαρκεῖ πλησμονὴ. τρυφῆ δέ τοι
Αλλων ἐδεστῶν μηχανὰς θηρώμεθα.

Quos verſus paribus Iambis doctus quidam hunc in modum Latinos fecit:

Sed enim quibus vita indiget mortalium,
Si panis adſit, frigidæq; poculum?
Quæ ſuppetunt, facilimeq; nos alunt,
Quibus ſaturitas cedit, & laſciuia.
Nam cæterorum eduliorum indagines
Non vſui, ſed luxui ſubſeruiunt.

Habet autem hoc tenuis parabiliſque

victus,

victus, quòd non solùm sit salubrior, sed maiore voluptate, minoríque fastidio sumatur. Documento fuit Artaxerxes, qui quum in fuga direpto commeatu, aridis ficis, & pane ordeaceo vesceretur, Dij boni, inquit, cuiusmodi voluptatis hactenus fui expers? Declarauit idipsum Darius, qui quum aquam turbidam ac cadaueribus inquinatam bibisset, negauit vnquam se bibisse iucundiùs. Nec vnquam Ptolemæus esuriens ederat, Cui quum peragranti Ægyptum cibarius in casa panis esset datus, nihil visum est eo pane iucundius. Alexander quum solitos obsoniorum artifices ablegasset, longè se commodiores circumferre dixit, nempe matutinam profectionē ad condiendum prandium, ad cœnam verò prandij tenuitatem. Socratem ferunt, quum ad vesperam contentiùs ambu-
lasset,

lasset, quæsitumque esset ex eo, quare id faceret, respondisse, quò melius cœnaret. sitim enim ac famē obsonij vice esse, & condire omnia. tantaque vir hic vsus dicitur victus moderatione, vt per omne vitæ tempus valetudine inoffensa vixerit, adeò vt in illa vastitate Peloponnesi, quæ imprimis Athenas exhausit, multasque ciuitates ad internecionem est depopulata, illæsus substiterit, nec cæterorum cladi fuerit obnoxius. Huic longè dissimilis à Cicerone describitur Dionysius tyrannus, qui quum apud Lacedæmonios cœnauisset, negauit se iure illo nigro, quod primis mensis inferri solet, delectatum. Tum is qui coxerat, Minimè mirum, inquit: Condimenta enim defuerant. Quæ tandem, inquit ille? Labor in venatu, sudor cursus, delassatio, fames, sitis: his enim rebus Lacedæmoniorum

Gel. lib. 2. cap. 1. Thuc. lib. 2.

Tus. 5.

niorum epulæ condiuntur. Persarum quoque à Xenophonte victus exponitur, quos negat ad panẽ adhibere quidquam, præter nasturtium. Quanquam si quædã etiã suauiora desideres, quàm multa ex terra, inquit Cicero, arboribusq́ gignuntur, tum copia facili, tum suauitate præstantia! adde siccitatem quæ consequitur hanc continentiam in victu, adde integritatem valetudinis, confer sudantes, ructantesq́ refertos epulis, tanquam opimos boues: tum intelliges qui voluptatẽ maximè sequuntur, eos minimè consequi, iucunditatẽq́ victus esse in desiderio, non satietate. Quod quũ semel esset persuasum Persis, non solùm in victu summa moderatione ac temperãtia vsi sunt, sed etiam in laboribus subeundis, in exercendis fatigandisq́ membris extremã perseuerantiam præstiterunt. Quo facilè effecerunt,

Lib. 1. de pædia Cyri.

fecerunt, ut nihil vitiosi, prauiq; succi in corpore resideret, nulla humorum redundātia, nulla repletio: Eóque probro ducunt in cœtu conuiuiali matulas obambulare, nares emungere, excrementis mucóque pauimenta conspurcare: denique siquis aliquò secedat inter edendum exonerandæ vesicæ, aluiq; deijciendæ causa. quæ quidem nullo modo facere possent, nisi victu moderato vterentur, atque humiditatem labore motúque consumerent. Quò fit, vt eiusmodi constitutionis homines, propter calidæ siccæq; naturæ temperiem & prudentissimi sint, & odore corporis admodum grato. Quod ipsum de Alexandro accepimus, cuius vestimēta, quæ gestare est solitus, non iniucundum odorem expirabāt. Siquidem vbi temperata est caloris innati substantia, effluxus, vt Galenus testatur, è corpo- Com.lib.1. Aphor.14

corporibus suaues sensui se offerunt. Sic calida quæque, vt casia, carpesium, nux myristica, chariophillon, amomũ, cinamomum, odorata existunt. Econtra, qui frigidæ sunt humentisque naturæ, vt opifices sedentarij, quiq; vmbraticam vitam amplectuntur, mephitim quandam exhalant, atque animæ graueolentiam. Cùm enim humorum collectiones ob caloris natiui penuriam non concoquant, nec vapores exercitatione discutiant, necesse est huiusmodi corporibus magnã inesse putredinem, indeque tristes odores atque insuaues halitus promanare. Ad Persarũ institutum olim proximè accesserunt Neruij atque Sueui, quorum Sueuos scribit
Bel.Gal.4 Cæsar lacte & pecore viuere, multũq; deditos esse venationibus. Quæ res & cibi genere, & quotidiana exercitatione vires alit, atque immani corporũ
magnitudine

magnitudine homines efficit. Vinum, inquit, ad ſe importari nō ſinunt, quòd ea re ad laborem perferendum remolleſcere homines, atq; effœminari arbitrentur. De Neruijs verò, quos modò Tornacenſes vocant, nihil illos pati vini reliquarumq́ue rerum ad luxuriam pertinentium inferri, quòd his rebus relangueſcere animos, illorumq́ue remitti virtutem exiſtimarent. quanquam tamen moderata vini potio corpori non incommoda eſt. Siquidem euidenter concoctioni ac digeſtioni, quam Græci διαφόρησιν vocãt, auxiliatur: ſanguinis denique generationi efficaciter præſidium adfert, eumq́ue defecatiorem præſtat, omnes animi nebulas diſcutit, mentiq́ue triſtitiam ac mœrorem eximit. Vt enim ferrum ignis potentia, ita animi affectus vino emolliũtur. Sic Zenonem Philoſophum tam

tetricum atque ἀπαθῆ, dicere solitum fama est. Quemadmodũ lupini aqua macerati dulcescunt, ita se quoque vino vtentem exhilarescere. Sic narratur & prisci Catonis sæpè mero caluisse virtus. Sic visum est Platoni, fomitem esse quendam & incitabulum ingenij, virtutisq́, si mens hominis leniter vino incalescat. primo enim & secundo De Legib. moderatis, honestisque inter bibendum remissionibus redintegrari reficique animos asserit, atque ad studendum, aliarumq́ue rerum intentiones capessendas fieri habiliores, tum vitia quædam hilaritate discuti, quæ seueritate corrigi nequeant. Quãobrem nemo non fateri debet, moderatum vini vsum (quẽ Timotheo etiam Diuus Paulus præscripsit ad fulciendum stomachum, & cruditatem depellendam) homini prorsus esse necessarium.

Hor. lib. 3. Carmi. Ode 21.

1. Tim. 5.

rium. Sed profectò morem hunc, qui in sympoſijs inoleuit, quemq; in Soterijs, atque in orbem redeuntibus Chariſtijs obſeruari paßim videmus, prorſus tolli atque aboleri par eſt. Nihil enim ab hominis dignitate atq; præſtantia magis alienũ, quàm ſupra vires, & quàm valetudinis ratio poſtulat, ſeipſum potu obruere: quo abuſu non tam in noſipſos ſumus iniurij, quàm in tanti muneris autorem ingrati. Qui quum vino nos in ſanitatis tutelam ac morborum velut amuletum vti voluit, illo in perniciem ac ſanitatis panolethriam vtimur, eoq; nobis morbos accerſimus, cuius præſidio illi erant profligandi. Laudata eſt olim Romuli temperantia, quem vocatum ad cœnam parciſsimè bibiſſe referunt, quòd poſtridie negotium haberet: ibi conuiuatores, Si iſthuc, inquiunt, Romule omnes facerent, Gel. lib. 11. cap. 14.

rent, vinum foret vilius: Tum ille, Imo verò charius, inquit, si quantum quisq; volet, bibat. Nam ego bibi, quantum volui. Nunc verò eò insana edendi bibendiq; libido adaucta est, vt illũ propemodùm è symposio exibilent, qui se non strenuũ potorem præbeat, atq; im-

In Curg. pigrè cloacam, vt Plautus ait, vino proluat. Adeò vt nemini mirum videri debeat, vnde tam multa ac prodigiosa morborum genera suppullulent, vnde tam varij, inopinatíque interitus hominum,

Iuuenal. *Vnde animi caligo, & tanta obliuio rerum,*
Tot subitæ mortes, atque intestata senectus.

Olim ad alendas fouendasq; amicitias, & tuendã communem vitæ societatem sodalitates constitutæ sunt, atque vltro citróque inter se veteres conuiuia agitabant,

agitabant, ex quo manauit prouerbiũ, Salem & mensam ne prætereas. Sed in his nulla suberat intemperantia, nullus luxus, nulla profusio. Neque enim conuiuiorũ delectationem corporis voluptate magis, quàm cœtu amicorum & sermonibus metiebantur. Sic Socratem ferunt & Platonem propter sermonis delectationem tempestiuis conuiuijs cum æqualibus delectari solitos. Sic Timotheus vir illustris atque honoratus Athenis quum apud Platonem cœnauisset, eoque conuiuio admodum delectatus esset, atque ipsum vidisset postridie, dixisse dicitur: Vestræ quidem cœnæ, non solùm in præsentia, sed etiam postero die iucundæ sunt. Quid? quòd ne mente quidem satis vti possumus multo cibo & potione completi, extat præclara Epistola Platonis, Cicerone teste, ad Dionis propin- Tusc. 5.

quos, in qua acriter luxum improbat, atque immodicos ferculorum apparatus insectatur, quibus Syracusani impensè delectabantur: nec vllo modo illi placuit, bis in die saturum esse, & nunquam pernoctare solum, quorum vsu & consuetudine nemo sapiens efficitur vnquam, moderatus verò multò minus. Quæ enim natura tam mirabiliter temperari potest? Quomodo igitur, inquit, iucunda vita esse potest, in qua absit prudentia, absit moderatio? Ex quo Sardanapali opulentissimi Syriæ Regis error agnoscitur, qui incidi iussit in busto,

Hæc habeo quæ edi, quæq; exaturata libido
Hausit: at illa iacent, multa & præclara relicta.

Quid aliud in bouis, nõ regis sepulchro inscribitur? inquit Aristoteles. Hæc habere se mortuum dicit, quæ ne viuus quidem diutius habebat, quàm fruebatur.

batur. Quum igitur frugalitas & victus temperantia, motus deniq; atque exercitatio (quam sibi quisque pro suo arbitratu, & vt valetudini conducere existimabit, imperare potest) veteribus tantoperè sint comprobata, & naturæ sint consentanea: videtur mihi, renouato veterũ instituto, ad hanc totius conseruandæ sanitatis amußim, (Vesci citra saturitatem, Non detrectare laborem, Naturæ semen conseruare) cuiusque natura, omnisq; viuendi ratio prorsus exigenda.

FINIS.

Errata sic corrigenda.

Pag.		Linea	Lege
21	b	5	Et croceo fœtu
52	b	7	ſenectæ.
50	b	18	lembum
65		15	ad percutientem
69		19	haud grauatè
71		2	acciperent.Non
71		14	auxilia.nec
72		12	ſed(quod dici ſolet, ὄνος λύρας ἀκροάτης)
73		15	produxit,alterum
74	b	11	integerrime
75		2	foueant:tu
75		penul.	hortatu(quo
79		19	ſua quæ
82	b	14	nudat?
86	b	19	Vt gaudes
87		19	calathum
88	b	15	afficiant?Hæc autem,
88	b	17	poſcit

AVTVM EST A CAESAREA *Maiestate ne quis hos libellos imprimat, præter Martinum Nutium, ſub pœnis in diplomate Imperatoris comprehenſis, Datis Bruxellæ, M. D. LIII.*

Subſignat.
P. Lens.

Admiſſum per P. Curtium Paſtorem Sancti Petri Louanienſis die penultima Ianuarij, Anno. M. D. LII. Stilo Brabrant.

Ad mortem natura currerit dum natos, sicu ut moveri negrita:

Jo: Allerton

Penitentia sera raro vera;

Adianthi vulgo capillo veneris
melanthii vulgo nigella

Amen

J.

